UNIVERSITAS CATHOLICA
IN OPPIDO LOVANIENSI.

S. FACULTAS THEOLOGICA.
1891—92.

N° DCXLV.

DE JURE ECCLESIÆ
ACQUIRENDI ET POSSIDENDI BONA TEMPORALIA.

DE JURE ECCLESIÆ
ACQUIRENDI ET POSSIDENDI
BONA TEMPORALIA

DISSERTATIO CANONICA

QUAM CUM SUBJECTIS THESIBUS,

ANNUENTE SUMMO NUMINE

ET AUSPICE BEATISSIMA VIRGINE MARIA,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOANNIS BAPTISTÆ ABBELOOS,

PROTONOTARII APOSTOLICI AD INSTAR PARTIC.,
ECCL. METROP. MECHL. CAN. HON., S. THEOL. DOCT.,
ORD. LEOP. BELGII DECUR., ORD. ISAB. CATH. COMMEND.,
ACAD. RELIG. CATH. SOCII,

ET CONSENSU S. FACULTATIS THEOLOGICÆ,

PRO GRADU DOCTORIS SS. CANONUM,

IN UNIVERSITATE CATHOLICA, IN OPPIDO LOVANIENSI,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDO,
PUBLICE PROPUGNABIT

CAROLUS SCHEYS, EX LOMBISE,
PRESBYTER DIŒCESIS TORNACENSIS,
JURIS CANONICI LICENTIATUS.

Diebus VII, XI et XVI mensis Julii, ab hora X ad 1,
anno MDCCCXCII.

LOVANII,
EXCUDEBAT J. VANLINTHOUT,
UNIVERSITATIS CATHOLICÆ TYPOGRAPHUS.

ILLUSTRISSIMO · AC · REVERENDISSIMO

DOMINO · DOMINO

ISIDORO · JOSEPHO · DU ROUSSAUX

EPISCOPO · TORNACENSI

SANCTITATIS · SUÆ · PRÆLATO · DOMESTICO

ORDINIS · LEOPOLDINI · DECURIONI

PRÆSULI

PIETATE · FORTITUDINE · SPECTATISSIMO

CLERI · POPULIQUE · PATRI · AMANTISSIMO

STUDIORUM · PROMOTORI · INSIGNI

IN · PERENNE · GRATI · ANIMI

AC · FILIALIS · AMORIS · TESTIMONIUM

VIRO · ILLUSTRISSIMO

DOCTRINA · ET · ERUDITIONE · PRÆSTANTISSIMO

JOANNI · BAPTISTÆ · ABBELOOS

PROTONOTARIO · APOSTOLICO · AD · INSTAR · PARTIC.

ECCL. · METROP. · MECHLINIENSIS · CANONICO · HONORARIO

SACRÆ · THEOLOGIÆ · DOCTORI

ORDINIS · LEOPOLDINI · BELGII · DECURIONI

ORD. · ISAB. · CATH. · COMMEND.

ACAD. · REL. · CATH. · ROM. · SOCIO

UNIVERSITATIS · CATHOLICÆ · RECTORI · MAGNIFICO

&

VIRO · EXIMIO · DOCTISSIMO

JULIO · DE BECKER

ECCL. · METROP. · MECHLIN. · CANONICO · HONORARIO

SS. · CANONUM · ET · JURIS · CIVILIS · DOCTORI

S. · THEOLOGIÆ · LICENTIATO

SS. · CANONUM · ANTECESSORI · PERITISSIMO .

SUORUM · STUDIORUM · MODERATORI

HANC · SUAM · LUCUBRATIONEM · DEVOTISSIMO · ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRÆFATIO.

Hoc opusculum, lector humanissime, benevolo animo excipe. Mos est in talibus ut quænam fuerit occasio objectum dissertationis seligendi, paucis verbis præmoneatur; cui legi libenter obsecundo. Quæstionis quam tractandam assumpsi quantum sit momentum, non est ut prolixa præfatione evolvam. Hisce quippe temporibus quali impudentia negata fuerit Ecclesiæ dignitas societatis perfectæ, imprimisque facultas temporalia bona acquirendi ac possidendi, nescit nemo. Hoc autem eo magis mirandum est atque dolendum, quod conatus isti tunc temporis apertius prodeunt, quum Socialismi placitis et ipsæ privatæ possessiones impetuntur.

Quare, dissertationem doctoralem conscripturus, opus non inopportunum fore censui, si defendendo juri illi Sanctæ Matris Ecclesiæ pro viribus operam navarem.

Ex permultis quæ ad gravissimam hanc rem spectant, principium ipsum probandum suscepi, jus nimirum illud ad Ecclesiam pertinere : quod duplici argumento, ex jure nempe naturali et ex jure divino desumpto, conficere constitui.

His habes quid intenderim ; illud qua ratione perfecerim, quæso, difficultatis rei memor, severius ne judices.

Priusquam ad propositum accedam, liceat mihi gratissimi animi sensus erga Antecessores peritissimos aperire, qui in hoc exsequendo meo conamine mihi sæpius auxere animum, meque suis consiliis constanter adjuvere.

Auctor.

INDEX RERUM.

CAPUT I.

ARGUMENTUM EX JURE NATURÆ.

Ecclesiæ competit jus acquirendi et possidendi bona temporalia quia vera societas est, et quidem societas religiosa publica

Hoc caput sequenti ordine disponemus : in articulo I, de jure proprietatis quod alicui societati competit, in genere tractabimus; cujus partis generalis principia in articulo II Ecclesiæ applicabimus (1).

ARTICULUS I.

DE JURE PROPRIETATIS QUOD ALICUI SOCIETATI COMPETIT.

Ut clare et solide jus alicui societati competens acquirendi ac possidendi bona temporalia ex ipso naturæ jure defendamus et explicemus, duplici quæstioni, de qua apud varios auctores diverse scriptum fuit, responden-

(1) Quum Ecclesia in hac perfectissima forma quam a Christo accepit sit institutio plane positiva, argumentum utique non est ex jure naturali quoad hanc partem qua affirmatur Ecclesiam Christi veram esse societatem, ipsamque solam jam nunc constituere societatem religiosam publicam.

dum videtur : 1) *an* alicui veræ legitimæque societati naturale jus competat bona sibi faciendi propria in ordine ad finem suum consequendum? 2) *quomodo* possit aliqua societas bona temporalia possidere, seu quomodo possit ipsa constitui subjectum juris proprietatis? Hujus igitur articuli proposito duabus his propositionibus satisfactum erit :

Prop. I. — Jus proprietatis alicui societati competens eodem ultimatim titulo naturali nititur ac jus proprietatis privatæ.

Prop. II. – Dominium societatis potest esse vel dominium mere collectivum; vel dominium vere ac proprie sociale, ita ut subjectum juris, societas scilicet qua talis, a membris collective sumptis distinctum sit distinctione rationis cum fundamento in re.

§ 1. *Jus proprietatis alicui societati competens eodem ultimatim titulo naturali nititur ac jus proprietatis privatæ.*

Totam hanc paragraphum hoc argumento complectimur :

Ipsa hominis natura, facultatibus nempe naturalibusque necessitatibus hominis, nititur jus ipsius bona sibi faciendi propria in ordine ad finem suum consequendum, seu *jus proprietatis privatæ.*

Atqui *eadem hominis natura*, iisdem scilicet facultatibus ac necessitatibus hominis, nititur jus hominum in societate viventium bona habendi propria in ordine ad societatis finem, seu *jus proprietatis communis vel socialis.*

Ergo jus proprietatis alicujus societatis eodem ulti-

matim naturali titulo nititur ac ipsum jus proprietatis privatæ.

Cujus argumenti *minor* sic probatur :

Ex facultatibus et necessitatibus hominis oritur jus ipsius ad vitam socialem.

Atqui ex jure hominis ad vitam in societate degendam oritur jus proprietatis communis vel socialis.

Ergo ipsis hominis facultatibus ac necessitatibus nititur jus societatis bona sibi habendi propria in ordine ad suum finem.

Tria igitur hæc demonstranda occurrunt :

1) Ex ipsa hominis natura oriri *jus proprietatis;*

2) Ex eadem hominis natura oriri *jus ipsius ad vitam socialem;*

3) Ex jure finem prosequendi in statu sociali oriri *jus proprietatis communis vel socialis.*

I. — *Ex ipsa hominis natura oritur jus proprietatis.*

Eam esse juris proprietatis naturam, qualem hic enuntiamus, supremus Ecclesiæ Pastor Leo XIII pluries solenniter declaravit, jus illud vocando « naturali lege sancitum » et « ab ipsa natura profectum » (1), nuperrime vero in celebri Encyclica *Rerum novarum* (2) ex professo demonstravit : cujus deinceps verba catholicis viris pro luce sunt ac duce.

1) *Notiones prævicæ.*

Antequam juris proprietatis titulum stabiliamus, quædam breviter præmittendæ sunt notiones, quibus nempe recolatur quid hæc varia præ se ferant :

A) Personæ, res;

B) Jus;

C) Jus proprietatis.

(1) Encycl. Leonis XIII *Quod apostolici*, 28 dec. 1879.
(2) Encycl. 15 maii 1891.

A) *Personæ, res.*

Finis ultimus a Deo rerum creationi præstitutus est gloria Dei externa. Hanc autem gloriam Dei externam *objectivam*, quæ scilicet in excellentia et pulchritudine creatarum rerum consistit, creaturæ omnes ipsa sua existentia procurant; gloria vero externa *formalis* in eo est ut creaturæ rationales Deum cognoscant, ament et laudent, sicque hominis est creaturas irrationales, in servitium hominis conditas ipsique gloriam Dei enarrantes, ad supremum omnium referre principium. Ita entia omnia hujus mundi ipsa sua natura in duas classes dividuntur. Alia nempe ad aliud ens creatum ut media referuntur; quæ, utpote « alterius », *res* appellantur. Alia vero ad nullum aliud ens creatum ut media ordinantur, sed finem suum ultimum et immediatum Deum habent, cujus gloriam externam formalem per se ipsa procurant; quæ entia rationalia, ad quæ res hujus mundi ut ad finem suum proximum ordinatæ sunt, ipsaque per oppositionem ad has « sui ipsius » sunt, sicuti *personæ* dicuntur sensu metaphysico, ita etiam et in ordine morali et juridico, quatenus subjecta juris, ut statim explicabitur.

B) *Jus.*

Finis ultimus hominis est procuratio gloriæ Dei externæ, quæ in hoc sita est ut homo Deum cognoscat et amet; in qua Dei possessione homo supremam naturæ suæ perfectionem seu beatitudinem adipiscitur. Ad hunc igitur finem in futura vita consequendum homo actibus suis in hac vita præsenti contendere debet, qui actus boni sunt vel mali prout hominem ad finem suum ultimum ordinant vel ab eo avertunt. Exinde jam sequi-

tur hominem quidem quemlibet individuum, etiamsi solus in hoc mundo positus supponeretur rationis particeps, lege quadam morali necessario regi. Sed homines in mundo plures sunt ad eumdem finem a Deo conditi, neque hominum ullus alium hominem a proprio suo fine præpedire potest, ideoque nec a mediis ad hunc finem necessariis; homines specifice æquales sunt. eademque naturali dignitate præditi : neque ideo titulus ullus est ut unus ab alio ita dependens fiat quasi potens non esset actum quemcumque bonum seu ad finem conducentem libere ponere. Quare inter homines specifica natura æquales oriuntur relationes quædam coordinationis, quorum complexus, in quantum necessariæ sunt ut, in procuratione finis, *naturalis singulorum independentia non lædatur*, jus *objectivo* sensu vocatur.

Facili denique gressu ad notionem juris *subjectivi* transimus. Si hujusmodi detur relatio coordinationis ab hominibus observanda ut singulorum naturalis in prosequendo fine independentia non lædatur, ordo rationis utique exigit ut quisque hanc relationem revereatur; ideoque quatenus aliquid determinatum sub tali relatione comprehenditur, homo habet *potestatem moralem inviolabilem illud habendi vel faciendi*. Quibus verbis recte tradi solet definitio juris subjectivi (1).

Hæc autem potestas, quum ultimatim non sit nisi potestas juxta naturalem hominis independentiam prosequendi finem, essentia sua objectum *honestum* supponit, quo scilicet homo ad finem suum contendat : quare jus intra regulam honestatis semper ac necessario continetur.

(1) Cf. analysis notionis juris ap Ill. MERCIER, *Cours de philosophie morale* (autogr.), an. 1885-86, pp. 300, sqq.

His etiam apparet jus hominis primarium esse *jus personalitatis humanæ*, ex quo omnia alia jura velut e fonte promanant.

Maximi denique momenti est advertere nos in præcedentibus, ubi nempe de naturali hominum independentia, non intendere nisi naturam humanam *in se* spectatam, ac proinde de ordine *abstracto* tantum loqui. Nec propterea ibidem dicta ullatenus impediunt quin, ex principiis alius ordinis, salvaque subordinatione erga Deum, homo *de facto* seu in ordine *concreto* alius hominis auctoritati subjiciatur. Quod quidem, uti infra ostensuri sumus, de facto obtinet, quum physica hominis natura ad hoc ordinetur ut homo in societate vivat, societas vero auctoritatem supponat; item, quatenus Deus alicui homini auctoritatem positive commiserit, vel etiam quatenus homo voluntate sua alterius auctoritati se submiserit.

C) *Jus proprietatis.*

Jus proprietatis complete sumptum definitur : *Jus disponendi pro voluntate de ipsa rei substantia et utilitate, exclusis omnibus aliis.*

Jus proprietatis, quatenus ex ipsa hominis natura oriri affirmatur, non indicat alicujus determinatæ rei proprietatem, sed *in abstracto* sumitur, ad signandum nempe *jus acquirendi proprietatem.*

Quum autem dicimus divisionem bonorum atque jus acquirendi proprietatem privatam etiam stabilem ex ipsa hominis natura oriri, contendimus jus illud proprietatis medium esse de se honestum, hominis naturæ apprime accommodatum, et in genere humano prouti nunc est universim sumpto moraliter necessarium ut homo finem suum eo modo prosequi possit quo ei finis ille ab ipsa

natura prosequendus proponitur; jus est ergo homini ab ipsa natura concessum. Quinimo posita bonorum divisione, jus proprietatis privatæ singulorum ipsa naturali hominum æqualitate fundatur.

2) *Demonstratio.*

A) *Ex ipso hominis jure suum prosequendi finem oritur jus acquirendi proprietatem privatam.*

Ex jure hominis suum prosequendi finem oritur ipsius jus seipsum conservandi atque perficiendi. Atqui, ut possit homo seipsum conservare et perficere, jus acquirendi proprietatem medium existit *a*) de se honestum, *b*) præsenti hominis conditioni apprime accommodatum, *c*) et in genere humano prouti nunc est universim sumpto moraliter necessarium. Ergo ex naturali jure homini competenti proprium procurandi finem oritur jus acquirendi proprietatem privatam.

Ad illius argumenti *majorem* pauca sunt addenda, siquidem conditio atque fundamentum activitatis illius qua homo gloriam Dei procurare tenetur est ipsius existentia facultatumque legitima per debitum exercitium perfectio. Nec multis verbis evolvenda est ejusdem argumenti *consequentia,* quum ipso rationis ordine jus homini concedatur ut ad finem a natura præstitutum medium adhibeat quod de se honestum sit, præsenti hominis conditioni maxime congruum, et in eadem conditione per se moraliter necessarium. Explananda igitur hæc ultima pars assertionis nostræ remanet, quæ in *minore* argumenti enuntiatur. Quod per partes conficiemus.

A) *Facultas acquirendi proprietatem privatam, quatenus ut jus hominis naturale vindicatur, nullum reapse jus lædit.*

Ita sane pronuntiandum, si nihil hoc jure

α) neque a dominio Dei absoluto,

β) neque ab aliorum hominum jure detrahatur.

α) *Jus proprietatis privatæ non lædit dominium Dei absolutum.*

Locus est hæc referendi Doctoris Angelici verba, quæ simul juris proprietatis fundamentum exprimunt : « Res exterior potest dupliciter considerari : uno modo quantum ad ejus naturam, quæ non subjacet humanæ potestati, sed solum divinæ, cui omnia ad nutum obediunt; alio modo quantum ad usum ipsius rei : et sic habet homo naturale dominium exteriorum rerum : quia per rationem et voluntatem potest uti rebus exterioribus ad suam utilitatem, quasi propter se factis. Ergo dicendum, quod Deus habet principale dominium omnium rerum; et ipse secundum suam providentiam ordinavit quasdam res ad corporalem hominis sustentationem; et propter hoc homo habet naturale rerum dominium, quantum ad potestatem utendi ipsis » (1).

Quando igitur homo rem aliquam exteriorem modo stabili acquirit, eam quidem rem dominio a quolibet alio homine exercendo subtrahit, nullatenus vero ab ea excludit dominium illud absolutum quod Deo, utpote causæ primæ et fini ultimo, essentialiter competit.

β) *Jus proprietatis privatæ non lædit jura aliorum hominum.*

Hoc enim non fieret nisi in quantum

1) vel bona materialia a Deo hac ordinatione data essent hominibus ut positiva communione possiderentur,

2) vel jus acquirendi proprietatem privatam alios homines ab exercitio naturalis cujusdam juris impediret.

(1) 2a 2æ, q. LXVI, art. I, in corp. et ad 1um.

Sed neutrum ex his proferri potest :

1) Non *primum*, quia bona temporalia de se communia quidem sunt, sed communione *negativa*, eo nimirum sensu quod Deus, hominem in mundum introducendo velut in mansionem amplissimis opibus refertam, « partem nullam cuique assignaverit possidendam, industriæ hominum institutisque populorum permissa privatarum possessionum descriptione » (1). Hæc igitur communitas bonorum, quamdiu durat, jus quidem actuale proprietatis privatæ, non autem facultatem bona sibi faciendi propria seu juris actualis acquirendi excludit.

Alia vero bonorum communitas, qua scilicet ea ita actu omnium essent ut nemo partem aliquam sibi propriam facere posset, neque ipsa bonorum natura inducitur, neque, uti infra ostendetur, cum exigentiis humanæ naturæ concrete spectatæ componitur : quæ ideo, utpote impossibilis, nedum necessaria, rejicienda est.

2) Non *secundum*, quia, ut acquisitio proprietatis privatæ aliorum hominum jura non lædat, sufficit ut intra limites honestatis, qui et naturales juris limites sunt, contineatur, ut nempe *a*) quoad partem possidendam, non hujusmodi sit privata appropriatio quæ aliis debitam prosecutionem finis impossibilem reddat, *b*) quoad ipsam partem possessam, alii non ab ea excludantur utilitate quæ etiam e re ab uno possessa in alios nata sit redundare. Præclare SS. Leo XIII : « Utcumque inter privatos distributa, inservire communi omnium utilitati terra non cessat, quoniam nemo est mortalium, quin alatur eo, quod agri efferunt. Qui re carent, supplent opera : ita ut vere affirmari possit, universam

(1) Encycl. *Rerum novarum*, 15 maii 1891.

comparandi victus cultusque rationem in labore consistere, quem quis vel in fundo insumat suo, vel in arte aliqua operosa, cujus merces tandem non aliunde, quam a multiplici terræ fetu ducitur, cum eoque permutatur » (1).

B) *Jus acquirendi proprietatem privatam etiam stabilem medium est humanæ naturæ concrete sumptæ apprime accommodatum.*

Ordini doctrinarum instamus a SS. Leone XIII propositarum.

1) Etsi Deus cunctis entibus viventibus bona externa largissime providerit, « hac etiam in re *maxime inter hominem et genus interest animantium ceterarum* ». Dum enim animalia, intellectu carentia, mera physica facultate iis utendi, instinctu duce, potiuntur, « longe alia hominis natura. Inest in eo tota simul ac perfecta vis naturæ animantis, ideoque tributum ex hac parte homini est, certe non minus quam generi animantium omni, ut rerum corporearum fruatur bonis. Sed... quod homini tribuit ut homo sit, et a belluis differat genere toto, mens seu ratio est. Et ob hanc caussam quod solum hoc animal est rationis particeps, bona homini tribuere necesse est non utenda solum, quod est omnium animantium commune, sed stabili perpetuoque jure possidenda, neque ea dumtaxat quæ usu consumuntur, sed etiam quæ, nobis utentibus, permanent » (2).

2) Ad hoc autem plenius perspiciendum, intimius attendendæ sunt *facultates et exigentiæ naturæ humanæ.*

(1) Ibid. — Cf. GEERAERTS, S. J., *Philosophiæ moralis prælectiones* (autogr.), pp. 388, sqq.

(2) Encycl. *Rerum novarum*, 15 maii 1891.

Homo sui arbitrii est atque independens ab aliis in procuratione sui finis; in hac ergo, « sub potestate omnia providentissime gubernantis Dei », ipse sibi veluti sua providentia est, seque ipse « gubernat providentia consilii sui » (1). Cum autem, ex una parte, perpetui sint in hac vita humanæ indigentiæ reditus, ex altera autem homo ratione sua futuras necessitates prævideat, ipsius naturæ convenit ut medium sibi providere possit quo non tantum in præsens, sed et in futurum sibi consulatur, quo perpetuæ inopiæ stabiliter subveniatur, quo subsidium ei pro eo tempore præsto sit quo illud conquirere impotens casu factus fuerit, quo ea comparetur vitæ securitas qua possit evolutioni facultatum superiorum plenius incumbere. Porro medium illud est acquisitio proprietatis stabilis.

c) *In genere humano prouti nunc est universim sumpto, moraliter necessarium est jus acquirendi proprietatem privatam.*

In præsentibus nimirum circumstantiis naturæ lapsæ et reparatæ atque hominum multitudinis, non possent homines, sub regimine positivæ bonorum communitatis universim inducto, exercere et evolvere facultates suas naturales, ad quarum pleniorem evolutionem et humana natura indesinenter contendit, et homines ipsa natura jus habent. « Certum in primis est, ait Card. de Lugo, de facto non omnia esse communia, sed multa esse sub aliquorum dominio. Certum item est hoc non solum licitum esse, sed etiam expediens, imo et necessarium ad vitam politicam humanam. Si enim omnia communia essent, cum communia facile negligantur, cessaret

(1) Ibid.

magna ex parte diligentia in excolendis agris, in conservandis fructibus, et procurandis quæ ad vitam humanam necessaria sunt; pauci enim essent qui ad communem solum utilitatem laborare vellent nisi sibi proprium sperantes, quod non haberent qui ea omnia negligerent : unde bella, jurgia et dissentiones frequenter nascerentur, omnibus rapientibus quæcumque invenirent, et vi usurpantibus ad proprium usum » (1).

Ex hactenus expositis jure concludere licet homini naturale jus competere acquirendi proprietatem privatam. Hic tamen addenda animadversio est qua falsus positæ assertionis sensus præcaveatur, inferiusque dicenda melius perspiciantur.

Si bonorum divisio eatenus necessaria est quatenus modo proposuimus, concludendum propterea non est positivam bonorum communionem de se et in omni hypothesi naturali legi repugnare. Hujus enim divisionis necessitas, cum ex necessitate laboris cui privatæ utilitatis stimulo provideatur, tum ex vitiis cupiditatibusque oritur quæ apud homines plerumque vigent. « Unde sequitur, si in aliquo cœtu dono supernaturali hæc vitia possint tolli, vel comprimi ut non dominentur, jus gentium ibidem non postulare, aut magis expedientem censere rerum divisionem, *sed potius earumdem communitatem*, qualis erat in statu innocentiæ : præsertim cum multa alia ex hac sequantur commoda, temperantia, modestia, tranquillitas animi, vacuitas sollicitudinis rerum temporalium, mentis ad res divinas et ad studium sapientiæ expeditio : hoc modo fideles, Ecclesiæ pri-

(1) *De justitia et jure*, disput. VI, sect. I. — Cf. Molina, *De jure et justitia*, tract. II, disput. XX, concl. I ; Lessius, *De jure et justitia*, lib. II, c. V. dubit. III.

mordio, omnia habuere communia, maxime Hierosolymis et Alexandriæ. Idem servatur et quidem perfectius, in monasteriis et in cœtibus Religiosorum; qui cum ex multitudine sint selecti, et toti rebus divinis mancipati, facilius illa vitia, quæ divisionem rerum postulant, devitare queunt. Quare merito inter eos, ut omnia sint communia, statuitur (1) ».

Objectionem tandem quæ forsan occurrerit præoccupamus, quasi scilicet homo ad ea tantum jus haberet quæ sint ad finem absolute necessaria. Sed, posita illa naturali, de qua supra, hominis independentia, ut possit ipse medium in ordine ad finem adhibere, non requiritur ut medium illud sit plane necessarium ac sine quo hic finis nullo modo obtineri queat; jus enim non esset nisi ad id contendere quod stricte necessarium sit, et quidem modo semper precario et omni casui obnoxio. Verum

(1) Lessius, *loc. cit.*, dubit. III. — Hac eadem animadversione, quædam explicantur SS. Patrum locutiones quæ contra ipsum jus proprietatis privatæ, at plane immerito, passim allegantur, quibus scilicet proprietatem stabilem effectum peccati originalis appellaverint, rerumque divisionem per iniquitatem inductam esse affirmaverint. Qui Patres historice loquuntur, attendendo nimirum statum justitiæ originalis a quo primus homo peccato decidit; quo in statu necessaria non fuisset stabilis rerum divisio, quæ post peccatum humano generi fuit moraliter necessaria, itaque peccatum universali exercitio illius juris occasionem præbuit. Eodem loco opportunum est monere SS. Patres sæpe his verbis charitatis officia urgere quæ primo quidem aspectu jus ipsum privatæ proprietatis impetere videantur; quæ tamen, si recte perpendantur, hunc sensum reapse non habent, at potius juxta illa S. Thomæ sunt interpretanda : « Circa rem exteriorem duo competunt homini : quorum unum est potestas procurandi et dispensandi : et quantum ad hoc licitum est, quod homo propria possideat; est etiam necessarium ad humanam vitam... Aliud vero, quod competit homini circa res exteriores, est usus ipsarum : *et quantum ad hoc non debet homo habere res exteriores ut proprias, sed ut communes;* ut scilicet de facili aliquis eas communicet in necessitate aliorum : unde Apostolus dicit I ad Timoth. ult. : Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere, communicare de bonis, etc. » 2ª 2æ, q. LXVI, art. II, corp.

sufficit ut medium sit aptum et ad hunc finem utile; bona vero externa natura sua hujusmodi dicenda sunt, quoadusque aliorum jus privata appropriatione non evidenter læditur.

B) *Jus proprietatis privatæ, eo ipso quod homines positivam non intendant bonorum communionem,* qua nempe in commune reponerentur laboris fructus, uti etiamnum per accidens modo supradicto fieri potest, *ipsa naturali hominum æqualitate fundatur.*

SS. Leo XIII, priorem argumentandi rationem confirmando, quam supra retulimus, hominem ostendit ipsis naturæ exigentiis ad laborem induci. « Res enim eas, quæ ad conservandam vitam maximeque ad perficiendam requiruntur, terra quidem cum magna largitate fundit, sed fundere ex se sine hominum cultu et curatione non posset ».

Jamvero, vi naturalis hominum æqualitatis, nullus alteri laboris sui fructum cedere tenetur; ad hoc autem homo cogeretur, nisi jus detur acquirendi proprietatem privatam.

Ipsa audiantur doctissimi Pontificis verba : « Cum in parandis naturæ bonis industriam mentis viresque corporis homo insumat, hoc ipso applicat ad sese eam naturæ corporeæ partem, quam ipse percoluit, in qua velut formam quamdam personæ suæ impressam reliquit; ut omnino rectum esse oporteat, eam partem ab eo possideri uti suam, nec ullo modo jus ipsius violare cuiquam licere... Ager quippe cultoris manu atque arte subactus habitum longe mutat : e silvestri frugifer, ex infecundo ferax efficitur. Quibus autem rebus est melior factus, illæ sic solo inhærent miscenturque penitus, ut

maximam partem nullo pacto sint separabiles a solo. Atqui *id quemquam potiri illoque perfrui, in quo alius desudavit, utrumne justitia patiatur?* Quomodo effectæ res caussam sequuntur a qua effectæ sunt, sic operæ fructum ad eos ipsos qui operam dederint, rectum est pertinere (1) ».

Quibus stabilitis, ad secundam nostram assertionem transire licet.

II. — *Ex ipsa hominis natura oritur jus ipsius ad vitam socialem.*

Ad hanc propositionem simul explicandam atque demonstrandam, ostendemus 1) hominem ita esse natura comparatum ut societas ipsi sit medio naturali ac necessario ad finem suum prosequendum; 2) cujus primæ partis confirmationem ulterioremque explicationem præstabimus, subjiciendo quomodo in ordine historico homo huic naturali tendentiæ satisfecerit (2). Unde corollarium deducemus de libertate associationis.

Hic præmittenda est *generalis notio societatis.*

Societas (si ad præsentem tantum vitam respiciamus) apte definitur : *Conjunctio plurium hominum in communem finem suis actibus conspirantium*, vel etiam, si

(1) Encycl. *Rerum novarum*, 15 maii 1891. — Cf. Van der Aa, S. J., *Prælectionum philosophiæ scholasticæ brevis conspectus*, t. IV, *Ethica*. Lovanii, 1889, pp. 109, sqq ; Costa-Rossetti, *Philosophia moralis*. Œniponte, 1886), pp. 362, sqq. — De necessitate divisionis bonorum, cf Mercier, *loc. cit.*. pp. 345, sqq.

(2) Brevis hæc expositio historicæ societatum evolutionis speciale commodum præbet, quatenus ipsa occasionem nanciscemur ut, simul ac stabiliamus quænam sint in humana vita partes status socialis, ostendamus quemnam respective locum singulæ societates, præsertimque societas religiosa, obtineant Ex hac enim comparatione apertius confutabuntur errores eorum qui potestatis civilis *omnipotentiam* ita jactent, ut ipsam veluti juris omnis fontem ac principium exhibeant.

concrete spectetur, *cœtus hominum ad communem et permanentem finem conjunctis viribus conspirantium.*

Duobus igitur potissimum elementis societas quælibet constat, *a*) aliqua scilicet *hominum multitudine,* quæ materiale societatis elementum exhibet, ac *b*) principio quodam multitudinem illam in societatem informante, seu causa formali, quæ est *conspiratio*. Unde in societate ratio distinguere potest : materiam remotam, homines scilicet quatenus individuos; materiam proximam, seu membra, id est homines qua conspirantes in finem, et ideo eatenus ab individuis distinctos quatenus ipsis inest realis nota conspirationis; denique societatis formam, seu conspirationem.

Hæc autem conspiratio, de qua statim diximus, triplici constituitur unione *intellectuum* unum eundemque finem tanquam bonum omnibus commune apprehendentium, *voluntatum* bonum illud qua commune intendentium, ac *virium* idem bonum quatenus commune prosequentium.

Porro hæc conspiratio in concreto non obtinetur nisi *auctoritas* membra societatis efficaciter ad finem dirigat : tanta enim est in hominum multitudine judiciorum ac studiorum diversitas, talis facultatum inæqualitas ac passionum omnium æstus, ut non possint homines, nisi potestate quadam singulorum voluntates temperentur, finem unum communem, inter varias temporum exigentias, ordinata munerum valde diversorum adimpletione, constanter ac pacifice prosequi (1).

(1) Apposite ergo SS. Leo XIII, in Encycl. *Diuturnum,* 19 jun. 1881 : « Neque existere neque intelligi societas potest in qua non aliquis temperet singulorum voluntates ut velut unum fiat ex pluribus, easque ad commune bonum recte atque ordine impellat. » — Et in Encycl. *Immortale Dei,*

Hæc sunt elementa entis generici quod societatem vocant. Ex dictis autem jam patet varias societates fine suo proprio specificari, easque essentialiter inter se differre pro diverso singularum fine. Conspirationem enim diximus esse causam societatis formalem, seu principium quo plures homines in societate constituuntur. Atqui hominum conspiratio, tota quanta est, ex fine sociali specificatur : siquidem finis ille objectum est in quo agnoscendo intellectus, in quo persequendo voluntates conveniunt, et ad quod obtinendum vires uniuntur in adhibendis mediis, quæ ex eorum proportione ad hunc finem determinantur. Ergo ex fine sociali specificatur causa societatis formalis, quæ nempe materiam ad esse societatis determinat, proindeque diversitas essentialis societatum a fine pendet.

In procuranda finis consecutione tota cujusdam societatis existendi ratio reponenda est : eo igitur perfectior societas est quo finis ejus in se spectatus sublimior et quo aptior est ipsa ad hunc finem assequendum. Unde recte docent omnes auctores societatem perfectam eam esse, quæ finem habet in suo ordine completum (qui nempe ad finem alius societatis non ordinetur), simulque omnia media necessaria ad finem illum assequendum (1).

1 nov. 1885 : « Quoniam vero non potest societas ulla consistere, nisi aliquis omnibus præsit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, efficitur civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem qua regatur. » — Unde etiam legitur in lib. *Proverb.*, XI, 14 : « Ubi non est gubernator, populus corruet »

(1) Cf. ARISTOT., *Politica*, l. I, c. 1, n 8; S THOMAS, 1a 2æ, q. XC, art III, ad 3; TARQUINI, *Juris eccl. publ. Institutiones*. Romæ. 1862, n. 6; FINK, *De concordatis*. Lovanii, 1879, p. 69, sq. — De notione societatis in genere, cf. cl. VAN DEN BERGHE, *Jus ecclesiasticum publicum* (autogr.), l. I, pp. 2 sqq ; COSTA-ROSSETTI, *loc. cit.*, p. 404, sqq.

Hisce de societatis notione prænotatis, ad propositum nostrum accedimus.

1) *Homo ita natura comparatus est ut societas medium sit ipsius naturæ conforme et ad ipsius finem assequendum necessarium.*

A) Homo enim attentis *facultatibus* suis, ad societatem ipsa natura ordinatur. Cujus quidem asserti veritas liquet :

a) Ex humanarum facultatum perfectibilitate. « Homo perfectibilis est natura sua, idque inter præcipuas ejus prærogativas adnumeratur. Sed perfectibilitas ad actum adduci nequit, sine societate et plurium inter se collatis viribus. Ergo homo vi naturæ ad societatem tendit. Et sane, nisi diversis muneribus, quisque aliorum auxilio fultus, peculiari operi nervos intendat et præcedentium generationum laboribus adjutus propria inventa nepotibus transmittat; humanum genus semper eodem gradu consisteret, ac valde angustis perfectionis terminis concluderetur. Singuli enim homines veluti fragmina sunt quædam integræ naturæ; quæ qualis sit et quantum valeat non in uno aut altero seorsum explicat, sed in tota collectione, quæ nunquam abrupta ad vires suas evolvendas augendasque contendit » (1).

b) Ex hominis facultate loquendi. Argumentum illud his verbis a S. Thoma proponitur : « Hoc etiam evidentissime declaratur per hoc, quod est proprium hominis locutione uti, per quam unus homo aliis suum conceptum totaliter potest exprimere. Alia quidem animalia exprimunt mutuo passiones suas... diversis modis. Magis igitur homo est communicativus alteri, quam quodcum-

(1) Liberatore, *Instit. Ethicæ et Juris naturæ.* Neapoli, 1890, p. 224.

que aliud animal » (1). Quod idem S. Doctor alio loco ita evolvit : « Cum homini datus sit sermo a natura, et sermo ordinetur ad hoc quod homines sibi invicem communicent in utili et nocivo, justo et injusto et aliis hujusmodi; sequitur, ex quo natura nihil facit frustra, quod naturaliter homines in his sibi communicent. Sed communicatio in istis facit domum et civitatem. Igitur homo est naturaliter animal domesticum et civile » (2).

c) Ex eo quod homini naturales sint inclinationes amoris, benevolentiæ, commiserationis, congaudii, communicationis gaudiorum vel pœnarum.

B) *Sed et necessitates* hominis eum ad vitam socialem inducunt.

Quoadusque illæ hominis necessitates, sive physicæ, sive morales, eum ad vitam cum aliis in societate degendam perducant, determinatius exponetur ubi de singulis societatibus in specie agetur.

Quantum homo natura sua aliorum hominum auxilio indigeat jam laudatus Doctor Angelicus hoc argumento exponit : « Naturale est homini ut sit animal sociale et politicum, in multitudine vivens, magis etiam quam omnia alia animalia : quod quidem naturalis necessitas declarat. Aliis enim animalibus natura præparavit cibum, tegumenta pilorum, defensionem... Homo autem institutus est nullo horum sibi a natura præparato, sed loco omnium data est ei ratio, per quam sibi hæc omnia officio manuum posset præparare. Ad quæ præparanda unus homo non sufficit : nam unus homo per se

(1) *De Regimine Principum*, lib. I, cap. I. Opusc. theol. et philos. XVI. Opp., Parmæ, 1864, XVI, p. 224.

(2) In librum I *Politicorum*, lect. 1. Opp , ed. cit., XXI, p. 371. — Cf. Liberatore, *loc. cit.*, p. 223.

sufficienter vitam transigere non posset. Est igitur homini naturale quod in societate multorum vivat. Amplius, aliis animantibus insita est naturalis industria ad omnia ea, quæ sunt eis utilia vel nociva... Homo autem horum, quæ sunt suæ vitæ necessaria, naturalem cognitionem habet solum in communi, quasi eo per rationem valente ex universalibus principiis ad cognitionem singulorum, quæ necessaria sunt humanæ vitæ pervenire. Non est autem possibile quod unus homo ad omnia hujusmodi per suam rationem pertingat. Est igitur necessarium homini quod in multitudine vivat, ut unus ab alio adjuvetur, et diversi diversis inveniendis per rationem occuparentur (1) ».

Ipsa igitur duce natura, homines finem suum societatis ope prosequuntur, quum iidem ad medium illud adhibendum facultatibus et necessitatibus suis efficaciter inducantur.

2) Si ad ordinem concretum et historicum mentem convertamus, *quibus determinatis societatibus huic efficaci tendentiæ homines, pellente natura, satisfecerint* inquirendum manet. Ita vero ea quæ ex hominis natura abstracte considerata deprompsimus ulterius explicando simul factis confirmabimus.

A) Societas primaria, inter alias maxime naturalis et quæ aliarum omnium fons est atque fundamentum, societas est *familiaris* seu *domestica*. Exordium sumit illa prima hominum communitas ex societate *conjugali*, cujus ope, juxta Dei ordinationem, humanum genus propagari ac conservari debet; quæ societas, fine suo

(1) *De Regimine Principum*, lib. I, cap. I. Ed. cit., XVI, p. 225. — De naturali hominis socialitate, cf. Taparelli d'Azeglio, *Essai théorique de droit naturel*. Tournai, 1857, I, pp. 183, sqq. Elegantissime eam exponit Chrysostomus, *in Epist. I ad Cor.* homilia XXXIV. Ed. Migne, *P. G.*, LXI, coll. 289, sqq.

naturalis, origine tamen, qui est conjugum consensus, per se plane libera est.

Societas autem conjugalis naturalem veluti continuationem ac complementum accipit in societate *paterna*, cujus filii ipsa nativitate membra constituuntur : prior enim conjunctio ad filiorum etiam educationem, tamquam ad finem suum primarium, ordinatur, qui parentum auxilio in omnibus egentes nascuntur, quorumque inopiæ et impotentiæ sapientissime providit natura, tenerum parentibus inserendo natorum affectum. « Hujus societatis finis est educatio, nempe perpetua ac sedula subsidiorum omnium quæ ad vitam physicam, intellectualem ac moralem recte explicandam necessaria sunt, subministratio. Unde patet societatem paternam esse in filiorum bonum; quanquam hoc ipso in bonum parentum cedit : quidquid enim filii sunt, hoc parentum sunt » (1).

His tandem accedit conjunctio aliqua servitutis seu *famulatus*, non quidem ut pars essentialis familiæ, sed quatenus, generatim loquendo, indigent homines quorumdam adjutorio ac ministerio ad opera præstanda familiæ necessaria.

Triplici ex hac simpliciori societate exsurgit societas domestica seu familia : hujus caput est paterfamilias, « ejusque, qua talis, auctoritas hunc finem habet, ut in usu quotidiano ita ordinem in omnibus servari curet, ut ad commune bonum et ad simplicium societatum quibus familia coalescit fines, singula ejus membra conspirent » (2).

(1) Tongiorgi, *Institutiones philosophicæ*. Parisiis, 1878. *Ethica*, n. 368.

(2) Tongiorgi, *loc. cit.*, n. 385. — Societatis domesticæ constitutionem egregie describit cl. Prof. Moulart : « L'existence de l'homme suppose d'abord la famille; et ses inclinations les plus intimes tendent à en former une nouvelle. Sans elle le genre humain ne pourrait subsister. De là, la

B) Nec tamen naturali hominum inclinationi, neque eorum familiarumve necessitatibus sola domestica societate plene providetur, sed hanc societatem, quæ nondum perfecta est, ipsa natura ordinavit ut pars sit societatis amplioris, scilicet publicæ. « Insitum homini natura est, ut in *civili* societate vivat : is enim necessarium vitæ cultum et paratum, itemque ingenii atque animi perfectionem cum in solitudine adipisci non possit, provisum divinitus est, ut ad conjunctionem congregationemque hominum nasceretur cum domesticam, *tum etiam civilem, quæ suppeditare vitæ sufficientiam perfectam sola potest* » (1). Et re quidem vera, si familiæ inter se divisæ essent, non essent singulæ, in præsenti hominis conditione, nec rebus omnibus præparandis pares, nec artibus exercendis ad vitam humanam necessariis; neque per se singulæ aptæ essent quæ injurias, aut perpetuum saltem earum metum, arcerent, multoque minus quæ scientias, collatis plurium studiis, promoverent. Sicut vires unitæ multiplicantur, ita singulorum hominum singularumque familiarum vires eadem imminuuntur proportione si et adjumentum mutuum, quo temporis brevitas redimatur, et honesta illa atque utilissima alios superandi certatio jam deficiant.

société domestique, répondant directement aux premiers besoins naturels et aux fins individuelles de l'humanité; et le *pouvoir domestique*, à la fois marital et paternel, chargé de fonder une *maison*, d'y procurer le bien-être, d'y maintenir le bon ordre, d'y assigner à chacun son rôle. La famille remontant à l'origine même de l'homme, elle est antérieure à l'Etat, elle en en est le principe, l'élément primordial. Sa constitution essentielle est de droit naturel; la puissance civile n'a pas le pouvoir de la modifier. Les relations positives et réciproques des époux, des parents, des enfants, celles des familles avec l'Etat, peuvent être formulées dans les lois civiles; mais ces lois supposent le droit naturel, elles ne l'établissent pas. » — *L'Eglise et l'Etat*, 3me éd., Louvain, 1887, p. 61.

(1) Encycl. Leonis XIII, *Immortale Dei*, 1 nov. 1885.

Quid autem ordini morali afferatur præsidii tum ex legibus homines a vitiis retrahentibus, tum ex præmiis et exemplis ad virtutem incitantibus, consideratio præsentis humanæ naturæ conditionis manifesto nos docet. Quibus perspectis gravissimi doctores necessitatem societatis civilis tanquam legem humani generis unanimi ore prædicant. Plura jam retulimus in hoc argumentum e S. Thoma excerpta : « Cum autem, ait idem S. Doctor, homini competat in multitudine vivere, quia sibi non sufficit ad necessaria vitæ, si solitarius maneat : oportet quod tanto sit perfectior multitudinis societas, quanto magis per se sufficiens erit ad necessaria vitæ. Habetur siquidem aliqua vitæ sufficientia in familia domus unius... in civitate vero, quæ est perfecta communitas, quantum ad omnia necessaria vitæ » (1). Hisce consonat Suarezius : « Homo enim natura sua propensus est ad civilem societatem, eaque ad convenientem hujus vitæ conservationem maxime indiget, ut recte docuit Aristoteles (I *Polit.*, c. 1 et 2) » (2); et alibi : « Hæc autem communitas (familia) non est sibi sufficiens, et ideo ex natura rei necessaria ulterius est in genere humano communitas politica, quæ civitatem saltem constituat, et ex pluribus familiis coalescat; quia nulla familia potest in se habere omnia ministeria et omnes artes necessarias ad vitam humanam, et multo minus potest sufficere ad assequendam omnium rerum necessariarum cognitionem... » (3). Bellarminus asserere non dubitat : « Principatus politicus adeo naturalis et necessarius est humano generi, ut tolli non possit quin natura ipsa

(1) *De Regimine Principum*, lib. I, c. I. Ed. cit., p. 226.
(2) *Defensio fidei cathol.*, lib. III, c. I, n. 4.
(3) *De legibus*, lib. III, c. I, n 3.

destruatur; hominis enim natura est ut sit animal sociale » (1), variasque necessitates hominem ad civilem societatem urgentes evolvit. S. Pontificis Leonis XIII verba mox recitata sunt; hanc doctrinam ipse non semel inculcavit : « Homines in civili societate vivere natura jubet seu verius auctor naturæ Deus : quod perspicue demonstrant et maxima societatis conciliatrix loquendi facultas et innatæ appetitiones animi perplures, et res necessariæ multæ ac magni momenti, quas solitarii assequi homines non possunt, juncti et consociati cum alteris assequuntur » (2). Atque infra : « Magnus est error non videre, id quod manifestum est, homines, cum non sint solivagum genus, citra liberam ipsorum voluntatem ad naturalem communitatem esse natos (3) »

Illud igitur medium existit quod multiplicatis familiis, hominibus præsto est ut ad hanc facultatum evolutionem quam naturaliter appetunt et ad quam ipsa natura ordinantur, pertingere possint. Opportunum tamen est quædam addere quibus accuratius determinetur quo sensu civilis societas dicenda sit humano generi necessaria.

Ipsa quippe necessaria prædicatur ut individuorum familiarumque exigentiis sufficienter subveniatur, et quidem sequenti modo : *a)* Homo quilibet individuus extra civilem societatem *physice* capax est media sibi providendi ad finem suum necessaria; ipse quoque, libera sua voluntate juxta rationis ordinem utendo, aliorum jura servare posset illæsa, suaque pariter jura ab aliis custodita retinere. *b)* At, posita humana natura qualis nunc est, spectatis scilicet tum intelligentiæ volunta-

(1) *Controv.*, II, *De membris Ecclesiæ militantis*, lib. III, *De Laicis*, cap. V.

(2) Encycl. *Diuturnum illud*, 29 junii 1881.

(3) *Ibid.*

tisque debilitate, tum cupiditatibus quas inter homines excitare solet bonorum temporalium possessio, homines *de facto*, humano præsertim genere adeo multiplicato, neque jura sua sufficienter defendere, neque media omnia ad finem suum temporalem necessaria sibi absque civili societate providere possent. Exinde ergo concludimus *a)* societatem civilem necessariam non esse necessitate *physica* et *absoluta*, quasi nempe extra civile consortium homines ac familiæ in physica et absoluta constituerentur impotentia media sibi procurandi ad finem obtinendum necessaria; *b*) sed necessariam esse pro genere humano necessitate *morali* seu *relativa*, ita nimirum ut homines et familiæ absque civilis societatis auxilio mediis quibus in ordine temporali ad prosequendum finem indigent *de facto* destituerentur, difficultatibusque quas in prosecutione finis *certo experturi sunt*, resistendi impares invenirentur. Ideoque iterum, posita humanæ vitæ conditione, moraliter certum est homines relationes suas ultra familiam explicaturos esse, et sub impulsu naturæ statum quemdam civilem plus minus perfectum esse constituturos; quod cæterum ex universali ac spontaneo hominum facto confirmatur.

C) Societatum evolutionem mox consideravimus prouti ad finem hominis temporalem ordinantur. Sed « nati susceptique omnes homines sumus ad summum quoddam et ultimum bonorum, quo sunt omnia consilia referenda, extra hanc fragilitatem brevitatemque vitæ in cœlis collocatum (1) ». De *religiosa* ergo societate agendum superest; et hæc quidem naturali quoque hominum propensioni, qua ad socialem vitam impelluntur, plane

(1) Encycl. LEONIS XIII *Immortale Dei*, 1 nov. 1885.

congruit. Illius enim quoqne affectus, quo finem suum ultimum homo prosequitur, ipse naturaliter socios ac participes quærit, seque aliorum affectus participem efficit; in illis etiam præstantissimis officiis, quæ scilicet proxime Deum respiciunt, tum cognoscendis, tum exercendis, naturæ ductu adjutores sociosque desiderat. Itaque merito dicitur homo natura sua ad religiosam societatem inclinari (1).

Hoc autem loco imprimis præmonendum est hominem, gratuita Dei benignitate, in ipsa creatione, ad statum evectum esse qui, naturam quidem nedum destruendo at perficiendo, omnis creaturæ vires exigentiasque superat : « In ipso generis humani primordio, magnum insuper quoddam divinæ pietatis arcanum fides christiana agnoscit. Homo ad imaginem Dei factus ipsa quidem natura sua ordinatur ad Deum cognoscendum, colendum, amandum, eo videlicet modo, qui innatæ facultati congruit. Verumtamen summus rerum conditor et dominus, cujus potentia creatæ naturæ proprietatibus et legibus non circumscribitur, inexhausta bonitate humanum genus in primo parente super creaturæ conditionem ad statum quemdam sublimem elevare voluit, in quo divinæ ipsius consors efficeretur naturæ (*II Petr.*, I, 4). Itaque præter dona, quibus in propria natura perficeretur, Spiritum Sanctum ei infudit, ut natura quidem servus, sanctitatis autem gratia filius, jam non solius naturæ vigore, sed caritate desuper infusa, divina mandata et virtutis opera exsequendo, æternam hæreditatem promereretur (2) ».

Christus vero ipse in terris conversans, societatem

(1) Cfr. LIBERATORE, *loc. cit.*, p. 305.

(2) *Schema const. dogm. de doctr. cath.* Patribus conc. VATICANI propopositum, c. III. *Coll. Lac.*, VII, coll. 555-556.

religiosam supernaturalem, Ecclesiam suam, in illa perfectissima condidit forma qua, per totum orbem diffusa, « omnes gentes » et « omnem creaturam » unitate et auctoritate sua conjungendo, ad consummationem usque sæculi perduratura est. De qua paulo infra fusius agendum erit.

Et ita Deus « humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus præpositam. Utraque est in suo genere maxima : habet utraque certos, quibus contineatur terminos, eosque sua cujusque natura caussaque proxima definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cujusque actio jure proprio versetur (1) ».

D) Denique, sicut amplissima subsidia hominibus finem suum communem prosequentibus publica societate suppeditantur, ita et individui homines certos fines particulares plerumque societatis ope multo facilius et efficacius prosequuntur. « Virium suarum explorata exiguitas impellit hominem atque hortatur, ut opem sibi alienam velit adjungere... Hac homo propensione naturali sicut ad conjunctionem ducitur congregationemque civilem, sic et alias cum civibus inire societates expetit, exiguas illas quidem nec perfectas, sed societates tamen » (2). Porro « inter has et magnam illam societatem ob differentes caussas proximas interest plurimum. Finis enim societati civili propositus pertinet ad universos, quoniam communi continetur bono : cujus omnes et singulos proportione compotes esse jus est.

(1) Encycl. Leonis XIII *Immortale Dei*, 1 nov. 1885.
(2) Encycl. Leonis XIII *Rerum novarum*, 15 maii 1891.

Quare appellatur *publica*, quia per eam *homines sibi invicem communicant in una republica constituenda*. Contra vero, quæ in ejus velut sinu junguntur societates, privatæ habentur et sunt, quia videlicet illud, quo proxime spectant, privata utilitas est, ad solos pertinens consociatos. *Privata autem societas est, quæ ad aliquod negotium privatum exercendum conjungitur, sicut quod duo vel tres societatem ineunt, ut simul negotientur*. (S. Thom. *Contra impugnantes Dei cultum et religionem*, cap. II) (1) ». Ad hunc ordinem pertinent societates ad exercitium diversarum artium, ad scientiarum cultum, ad jucunditatem institutæ.

Corollarium. *De libertate associationis*. — Huic assertioni, quod ex ipso hominis jure finem prosequendi sibi a mundi conditore constitutum, jus oriatur eas ineundi societates quæ ad finem illum juxta Dei ordinationem necessariæ sunt, non videtur hoc loco amplius insistendum. Sed manifestum præterea fit quid universim de libertate associationum sentiendum sit. Illa nimirum libertas, si illo quidem sensu, quo licentia vindicetur finem qualemcumque, quibuslibet etiam in conditionibus, societatis ope prosequendi, rejicienda sit, quatenus tamen facultas indicatur *honestis* quibusque utendi mediis in ordine ad finis assecutionem, jus est homini plane naturale, quod idcirco omni civili societate natura anterius est. Merito igitur sequens exsequitur argumentum SS. Leo XIII : « Nunc vero quamquam societates privatæ existunt in civitate, ejusque sunt velut partes totidem, tamen universe ac per se non est in potestate reipublicæ ne existant prohibere. Privatas enim

(1) Encycl. Leonis XIII, *Rerum novarum*, 15 maii 1891.

societates inire concessum est homini jure naturæ : est autem ad præsidium juris naturalis instituta civitas, non ad interitum : eaque si civium cœtus sociari vetuerit, plane secum pugnantia agat, propterea quod tam ipsa quam cœtus privati uno hoc e principio nascuntur, quod homines sunt natura congregabiles » (1).

Sed idem rationis ordo, vi cujus privatas societates suo jure coalescere defenditur, juris illius limites determinat, munusque publicæ potestati tribuit providendi ut ipsæ intra limites honestatis et innocuitatis publicæ contineantur. Qua de re citatus S. Pontifex, cujus doctrinæ horum jurium præclarum codicem constituunt, sapientissime monet : « Incidunt aliquando tempora cum ei generi communitatum rectum sit leges obsistere : scilicet si quidquam ex instituto persequantur, quod cum probitate, cum justitia, cum reipublicæ salute aperte dissideat. Quibus in caussis jure quidem potestas publica, quominus illæ coalescant, impediet : jure etiam dissolvet coalitas : summam tamen adhibeat cautionem necesse est, ne jura civium migrare videatur, neu quidquam per speciem utilitatis publicæ statuat, quod ratio non probet. Eatenus enim obtemperandum legibus, quoad cum recta ratione adeoque cum lege Dei sempiterna consentiant » (2).

Posito naturali hominum jure varias ineundi societates in fines honestos, ea jam ulterius occurrit quæstio, utrumne debeat civilis auctoritas eas omnes positive agnoscere, ipsis tribuendo *personificationem* dictam *civilem*, quid autem eo publicæ potestatis actu iisdem

(1) Encycl. Leonis XIII *Rerum novarum*, 15 maii 1891.
(2) *Ibid.*

conferatur. Sed hæc, in quantum ad scopum nostrum pertinent, ad seqq. paragraphum et articulum opportunius remittuntur.

III. — *Ex hominum jure finem suum in societate prosequendi, jus oritur bona communia possidendi in ordine ad societatis finem*, aliis verbis, *oritur jus proprietatis communis vel socialis.*

Nondum hic inquirimus de modo quo bona quædam alicui societati devinciantur, seu de ratione qua jus proprietatis in diversis hominum societatibus explicetur; verum nunc unice contendimus, jus societatem constituendi, illud etiam inducere ut certa bona *possideantur in ordine ad societatis finem.*

Revera, eodem naturali jure quo societas exsurgit, eodem et conservatur. Sicuti homines individui, eo ipso quod jus habent media adhibendi ad finem necessaria, naturali proprietatis jure gaudent; ita et societatibus, quæ inter homines naturali jure efformantur et efformatæ conservandæ sunt, bona præsto esse debent quæ ad finem prosequendum necessaria sunt. Non utique ad hoc ipsa naturæ voce homines ad ineundas societates impelluntur, ut ipsæ vix natæ cito pereant; sed ut ipsæ homini pro varia earum natura stabiliter adsint, quarum ope multa consequatur quibus ipse solus impar esset.

Jamvero nulla hominum societas bonis temporalibus carere potest, quum necessario permultæ faciendæ sint impensæ ut ea quæ cuicumque societati necessaria sint comparentur; in omni quippe societate media temporalia adhibenda sunt, ministri sustentandi, conventus agendi, etc., adeo ut vix aut ne vix quidem societas hominum ulla citari possit quæ, si aliqua saltem externa bona ipsi

præsto non sint, ad impotentiam non redigatur (1). Hoc speciatim in magnis societatibus adeo evidens est, ut a nemine non concedendum putemus.

Itaque, ex ipso hominum jure ad vitam in societate degendam jus oritur ut societatis conservationi et operationi mediis legitimis, ideoque et bonis temporalibus, prospiciatur.

Quibus videtur sufficienter demonstrari jus proprietatis communis vel socialis (si nondum inquiratur de ratione qua societas illius juris subjectum efficiatur) eodem ultimatim titulo niti atque ipsum jus proprietatis privatæ, ipsa scilicet hominum natura, ipsaque summi naturæ conditoris ordinatione.

§ 2. *Licet dominium societatis possit esse dominium mere collectivum membrorum, tamen in societatibus publicis, de se et ex ipsa rei natura, dominium est vere ac proprie sociale, seu societas ipsa qua talis subjectum est juris proprietatis.*

Ea est hominis natura ut societatis ope finem suum prosequatur; societas autem quælibet bonis temporalibus indiget ut finem suum attingere possit; ipso igitur naturali jure fit quod certa bona ad aliquam legitimam socie-

(1) Cfr. Devoti, *Inst. can.*, lib. II, tit. XIII, § 1. — Egregie cl. Moulart : « Il serait certes bien inutile, il serait absurde que la nature reconnût aux hommes le droit de se mettre en société, si la société une fois formée était condamnée à périr faute de pouvoir satisfaire les besoins auxquels sa création donne naissance. Parmi ces besoins un des plus impérieux est celui d'avoir des propriétés. Il n'a jamais existé et il n'existera jamais parmi les hommes d'association permanente sans quelques biens communs. Ces nécessités varient et se multiplient suivant la nature des diverses sociétés, mais elles existent dans toutes, et quoi qu'en disent les adversaires de l'Eglise, impliquent pour toutes *a priori* le droit de posséder. » *Loc. cit.*, p. 537.

tatem quadam ratione pertinere possint. De his hucusque. Quænam sit ratio illa qua bona ad societatem aliquam pertineant inquirendum remanet. Sitne, ipsa rerum natura, individuus homo solum juris subjectum, annon et quale præter physicam personam, subjectum aliud in societate dari possit; quid igitur de societatis *personalitate morali* dicendum sit, quidve exhibeat conceptus *personæ moralis* vel *juridicæ* : huic quæstioni, cujus difficultatem atque momentum, prouti Meurer (1) observat, sufficienter et scriptorum quæ suscitavit copia, et solutionum diversitas indicant, illud enuntiata thesi responsum protulimus, quod nobis videtur aptius traditis de societatum natura notionibus congruere.

Antequam autem theseos nostræ legitimitatem adstruere conemur, breviter exponere convenit præcipuas solutiones quæ quæstioni nostræ præstitæ sunt; *præcipuas* quidem dicimus, quum in pluribus theoriis evolvendis infinita detur apud varios auctores sententiarum varietas, quas prosequi nimis longum esset, neque ad rem nostram necessarium. Maximi vero momenti est hic sedulo attendere duplex quæstionis nostræ stadium : *primum* nempe, quod confecisse speramus, ipsa natura jus hominibus competere societatem ineundi bonaque temporalia possidendi in ordine ad societatis finem; et hæc pars adeo certa est ut de ea serio controverti prorsus nequeat, ideoque jam affirmare licet theoriam quamcumque quæ cum hoc naturali hominum jure componi non posset, a priori falsam judicari posse; porro, in variis dijudicandis sententiis attendendum etiam est

(1) *Der Begriff und Eigenthümer der heiligen Sachen.* Düsseldorf, 1875, p. 46.

societatem ecclesiasticam, de qua speciatim in sequentibus scribere intendimus, a civili societate natura sua plane independentem esse, prouti postea demonstraturi sumus. *Alterum* vero in explicanda ratione consistit qua societas subjectum juris illius dicatur; in quo præstando certus relinquitur controversiæ locus. In hac controversia sententiam supra indicatam vindicare proponimus (1).

1. *Variæ sententiæ.*

1) Prima quæ recensenda occurrit sententia ea est quæ communiter vocatur *theoria personificationis;* hujus autem præcipuus auctor atque patronus Savinius (Savigny) (2).

Juxta hanc theoriam, præter hominem individuum, aliud datur subjectum juris, persona nempe juridica, quod subjectum tamen nonnisi vi *fictionis* ponitur. Personam juridicam definit Savinius : « *Un sujet du droit des biens créé artificiellement* » (3).

(1) Attenta multorum auctorum scribendi ratione, qua nempe, ubi de persona morali scribunt, naturam tum societatum, tum fundationum inquirunt, inopportunum forsan non est præmonere, quum præsentem tractationem huic adstruendo principio restrinxerimus, quod Ecclesia, quæ societas est, jure polleat acquirendi et possidendi bona temporalia, inquisitionem illam in fundationum naturam ad argumentum nostrum non pertinere.

(2) *Traité de droit romain* (*System des heutigen Römischen Rechts*), trad. Guenoux. Paris, 1841, t. II, pp. 233-369. — Ipse quippe primus est qui theoriam illam modo scientifico exposuerit; quomodo autem doctrinæ Savinii jam apud Heise, in op. *Grundriss eines systems des gemeinen Civilrechts*, § 98, reperiantur innuitæ, cf. Vauthier, *Etudes sur les personnes morales dans le droit romain et dans le droit français.* Bruxelles, 1887, p. 271, n. 1.

(3) § 85, p. 231. — Hanc tractationem his verbis auctor inducit : « J'ai traité de la capacité du droit, comme répondant à l'idée de l'individu; je l'envisage ici comme *étendue artificiellement à des êtres fictifs.* » (p. 234). Positis dein limitibus intra quos capacitas juris personæ dictæ juridicæ continenda est, traditaque personæ juridicæ definitione exinde non sequi advertit quod hac sola juris capacitate totæ constent personæ

Savinius personas juridicas ad duplicem speciem reducit, corporationes scilicet et fundationes. « Quelquefois un certain nombre d'individus constituent par leur réunion la personne juridique; quelquefois aussi elle n'a pas cette apparence visible, son existence est plus idéale, et repose sur une fin générale qui lui est assignée. On appelle les premières, *corporations*. Le caractère essentiel d'une corporation est que son droit repose non sur ses membres pris individuellement, ni même sur tous ses membres réunis, mais *sur un ensemble idéal*. On appelle les secondes, *fondations*. Elles ont principalement pour but l'exercice de la religion, ce qui embrasse les fondations pieuses de toute nature, la culture de la science et des arts ou la charité » (1). Atque de his quæ posteriori loco recensentur adjicit : « On comprendra aisément combien il serait inexact d'appliquer le titre de corporation à toutes les personnes juridiques », factoque v. g. sermone de nosocomio : « Le véritable sujet de droit est donc *une abstraction personnifiée*, *une œuvre d'humanité* qui doit s'accomplir dans un certain lieu, d'après un certain mode et par des moyens déterminés » (2).

Transit auctor ad personarum juridicarum efformationem : « Les conditions de l'établissement des personnes juridiques n'ont pas toujours besoin d'être fixées par une règle positive. La plupart des communes sont

juridicæ, « que cette capacité soit leur caractère exclusif ou même dominant. Elles ont, au contraire, des buts spéciaux, souvent bien supérieurs à cette capacité, et dont celle ci n'est que l'instrument. » At illæ aliæ notæ non pertinent ad ambitum juris privati : ipsa juris capacitate personæ juridicæ in earumdem specie constituuntur (pp. 237, 238).

(1) § 86, pp. 240-242.

(2) P. 242, in nota. — Cfr. VAUTHIER, *loc. cit.*, pp. 272, sq.

aussi anciennes ou plus anciennes que l'État lui-même; celles constituées plus tard le sont toujours par un acte politique, ...non d'après une règle du droit privé. Quant au fisc, personne n'ira jamais rechercher le mode de son origine » (1). Quod autem ad alias personas juridicas spectat, Savinius tanquam principium ponit *requiri supremæ Status potestatis consensum* : « ... la nécessité du consentement de l'Etat pour la formation d'une personne juridique, trouve sa source dans la nature même du droit. L'homme, par le seul fait de son apparition corporelle, proclame son titre à la capacité du droit... A ce signe visible, chaque homme, chaque juge sait les droits qu'il doit reconnaître, les droits qu'il doit protéger. *Quand la capacité naturelle de l'homme est étendue fictivement à un être idéal*, ce signe visible manque, et la volonté de l'autorité suprême peut seule y suppléer en créant des sujets artificiels du droit : abandonner cette faculté aux volontés individuelles, ce serait infailliblement jeter sur l'état du droit une grande incertitude » (2).

Earum autem exstinctionem quod attinet : « La personne juridique une fois constituée, ne doit pas être dissoute par la seule volonté des membres actuels, car elle existe indépendamment de ces membres » (3).

Hanc personificationis seu fictionis theoriam auctores multi diversa ratione exposuerunt et evolverunt (4).

(1) § 89, p. 274.

(2) P. 276.

(3) P. 278. — Item alibi Savinius : « ... les personnes civiles, c'est-à-dire toutes celles qui ne deviennent capables d'avoir des droits que grâce à une fiction juridique ». *Traité de la possession en droit romain*, trad. Staedtler, 2me éd. Bruxelles, 1870, § 21, p. 230.

(4) Cfr. præsertim Puchta, *Vorlesungen über das heutige römische*

Nobis autem ex dictis jam saltem advertere sufficiat, ex una quidem parte hoc modo non explicari qua ratione *publica societas etiam civilis* subjectum juris constituatur, ex altera vero, si apud *civilem* societatem unice reponatur facultas hanc personalitatem cuicumque hominum societati tribuendi, certissima lædi Ecclesiæ jura (1), uti ex postea exponendis melius perspicietur.

Et revera hanc maxime viam inierunt Ecclesiæ adversarii, ut hujusmodi principiis fulti, nequissimis etiam

Recht. Leipzig, 1862, § 25. Permultos alios auctores citatos reperies apud Meurer, *loc. cit.*, p. 48. Cfr. etiam de his Zitelmann, *Begriff und Wesen der sogenannten juristischen Personen*. Leipzig, 1873, pp. 12, sqq.; item, Serment, *Associations et corporations*. Genève, 1877, pp. 20, sqq. — In Belgio speciatim commemorandus est Laurent : « Tout le monde est d'accord que les personnes dites civiles sont des êtres fictifs. Qui a le droit de créer ces fictions? Poser la question, c'est la résoudre... le législateur seul peut créer des personnes civiles. Le mot *créer* est un mot très ambitieux qui ne convient nullement à la faiblesse humaine. Ici cependant le mot est à sa place en un certain sens. A la voix du législateur, un être sort du néant et figure, sur un certain pied d'égalité, à côté des êtres réels créés par Dieu. C'est dire que tout est fictif dans cette conception. Dès lors il faut la toute-puissance humaine pour créer des personnes civiles, comme il faut la toute-puissance divine pour créer des personnes réelles... Il faut la puissance souveraine de la nation pour appeler à l'existence un être qui avant cette déclaration de volonté n'existe pas. » *Principes de Droit Civil Français*. Bruxelles, 1878, t. I, p. 369. Atque in specie de Statu scribit : « L'Etat n'existe pas comme l'homme existe, il ne naît pas, il est créé. Créé par qui? Par la loi. Dans quel but? Pour diriger les intérêts généraux de la société... Voilà la différence radicale entre les véritables personnes et l'Etat, la plus caractérisée des personnes dites *civiles*. L'homme a tous les droits par cela seul qu'il existe; tandis que par sa nature l'Etat n'a aucun droit; il tient ses droits de la loi. Ils sont donc nécessairement limités : ce sont des droits concédés, ce ne sont pas des droits naturels. » *Loc. cit.*, p. 375.

Cum modo traditis conferri potest theoria exposita a Böhlau, *Rechtssubject und Personenrolle*. Rostock, 1871; de qua cf. Serment, *loc. cit.*, pp. 39, sqq.

(1) Cf. Lehmkuhl, *Das Kirchengut und sein Rechtsträger*, *Stimmen aus Maria Laach*. VIII, pp. 434-437.

spoliationibus viam sternerent, Aperte declarat Laurent, quoad ea quæ in opere suo *Droit civil international* (1) contra personas civiles profert, et his quidem verbis a quibus referendis dispensemur, se impugnandam præsertim intendere catholicam Ecclesiam : « La question de droit que je discute, inquit, est inséparable de la question religieuse (2)... Il faudra un travail séculaire pour décatholiser la société : le mot est trop absolu, il s'agit moins de détruire que de transformer. L'incorporation (qua voce personas civiles designat) joue un grand rôle dans ce mouvement. C'est mon excuse pour la longue étude que j'y consacre dans un ouvrage qui paraît étranger à cet ordre d'idées » (3). Et recenter denuo in Belgio declaratum est quænam ex hujusmodi Status omnipotentia deducantur consequentiæ : « On répond, non sans grand avantage,... qu'il n'y a pas de personne civile de droit divin; que, souveraine et indépendante, la nation ne reconnaît d'autres pouvoirs que ceux qui émanent d'elle; *que les êtres moraux n'existent que par sa volonté; qu'à elle seule il appartient de les instituer et de les interdire; que ce qu'elle a fait un jour, elle peut le défaire en tout temps; ce qu'elle a voulu, elle peut cesser de le vouloir...* » (4).

2) In recensendis diversis sententiis quæ ad explicandam societatum personalitatem prolatæ fuere, prætermittenda non est, licet ad historiæ provinciam eam potius pertinere censeamus, theoria exposita ab Ihering,

(1) T. IV. Bruxelles, 1880, pp. 152-354.

(2) *Loc. cit.*, p. 320.

(3) *Loc. cit.*, p. 168.

(4) Mesdach de ter Kiele. *Cour de cassation, audience solennelle de rentrée du* 1er *oct.* 1888. Apud *Journal des tribunaux*, 7 oct. 1888, col. 1139.

in opere *Esprit du droit Romain (Geist des Römischen Rechts)* (1).

Hanc ponit Ihering juris notionem ut ejus subjectum sit ille *in cujus beneficium cedit;* adeoque id quærendum esse tradit *cujus* in exercitio juris *intersit* (2); juxta quem conceptum, personæ juridicæ natura his verbis indicatur : « Il nous suffira d'indiquer deux règles qui la résument entièrement. La première règle est qu'au sein de la personne juridique, *les divers membres qui la composent sont les véritables ayants-droit*... La seconde règle se formule ainsi : ce ne sont point les divers coïntéressés qui *apparaissent extérieurement* comme sujets du droit, dans la mesure de leur part respective, c'est la communauté qui remplit ce rôle, comme investie de tous les droits partiels, la communauté comme ensemble de tous les ayants-droit. La combinaison de ces deux règles démontre que le mécanisme appliqué ici est techniquement le même que dans l'obligation corréale, seulement dans celle-ci le porteur du droit jouit d'une existence matérielle, c'est une personne physique, tandis qu'ici son existence est purement idéale. Dépouillé de cette forme technique, ce rapport n'est

(1) Trad. de Meulenaere, 3e éd. Paris, 1888.

(2) « Deux éléments constituent le principe du droit; l'un *substantiel*, dans lequel réside le but pratique du droit, et qui est l'utilité, l'avantage, le gain assuré par le droit; l'autre *formel*, qui se rapporte à ce but uniquement comme moyen, savoir : la *protection* du droit, l'*action en justice*. Celui-là est le fruit dont celui-ci est l'enveloppe protectrice. Par lui même, le premier ne crée qu'un état de fait d'utilité ou de jouissance (intérêt de fait) que le premier venu qui, en fait, en a le moyen, peut impunément à chaque instant, ébranler ou renverser. Cette situation ne devient moins précaire, moins instable, que lorsque la loi vient la protéger. La jouissance, ou la perspective de la jouissance, devient alors assurée; elle devient un *droit... Les droits sont des intérêts juridiquement protégés.* » *Loc. cit.* § 70, p. 327, sq.

autre chose, au fond, que l'exercice des droits compétant à certaines personnes dont le nom est laissé dans l'ombre, réserve faite de leurs rapports entre elles, c'est-à-dire, du côté subjectif du droit. L'action est exercée au nom des ayants-droits quels qu'ils soient (*persona incerta*) ... et l'expression : *personne juridique* ne sert qu'à désigner les *intéressés*, sans autrement les faire connaître » (1). Et infra : « Il est incontestable que les droits, qui sont le patrimoine de la personne juridique, profitent aux membres isolés (présents ou futurs) de la corporation. Ce n'est point là un effet accidentel, c'est le but même du rapport. Les membres isolés sont les véritables *destinataires* de la personne juridique. Des considérations pratiques veulent, il est vrai, que les intérêts communs soient poursuivis, non point par les membres isolés, mais par l'ensemble de ces membres, représenté par une unité personnelle artificielle... La personne juridique, comme telle, est incapable de jouir; *elle* n'a ni intérêts ni buts. Elle ne peut donc avoir des droits, car les droits ne sont possibles que là où ils atteignent leur destination, c'est à dire là où ils peuvent être utiles à leurs ayants-droit » (2).

3) Ad eas theorias transimus quibus contenditur quoad bona personæ dictæ juridicæ non necessario dari *subjectum* juris. Windscheid theoriam fictionis hoc sensu defendit : « Revera sunt aliqua jura absque subjecto; sed humanæ naturæ repugnat quod jura absque quodam subjecto cogitentur. Propterea fingitur persona quacum in mente connectitur potentia jus habendi, quam tamen

(1) *Ibid.* § 65, pp. 217, sq.
(2) *Loc. cit.*, pp. 342, 343.

potentiam reipsa hæc persona non habet » (1). Asserit Brinz (2) rem aliquam non tantum *pertinere ad aliquem* posse, sed etiam *pertinere ad aliquid*, ad aliquem scilicet scopum seu *finem*, et quidem perinde exclusive ac si ad personam quamdam pertineret (3); cujusmodi patrimonium nomine « Zweckvermögen » designat. Advertit ipse jus proprietatis, aliaque jura quæ ad illud referuntur, non posse concipi absque persona ad quam pertineant (4); sed præter illa jura quorum proprium est « pertinere ad aliquem, ejus esse », dantur alia jura iis similia vi quorum patrimonium ad aliquid pertinet, quæ jura propriam designationem hucusque non obtinent (5). Tamen, pergit citatus auctor, quum jura activa (Activrechte) personam supponant, hic quoque persona necessaria est; quæ cæterum jura illa non propter se sed propter scopum ad quem patrimonium pertinet seu *propter aliquid*, tamquam quæ plenam potestatem gerat (als Vollmachtsträger), habet (6). Qua ultima affirmatione Brinz ad agnoscendum

(1) *Krit. Ueberschau*, I, p. 181; VI, p. 219; *Pandekten*, I, pp. 114-115, cit. ap. MEURER, *loc. cit*, p. 54. Cfr. SERMENT, *loc. cit.*, p. 33; ZITELMANN, *loc. cit.*, p. 33.

(2) *Lehrbuch der Pandekten*, II. Erlangen, 1860, §§ 226-244, pp 979-1150.

(3) P. 980. — « ... das Zweckvermögen... begreift sich als ein Vermögen, das Niemand, aber für Etwas, und weil für Etwas unmöglich Iemand gehört ». P. 981.

(4) P. 990.

(5) P. 991. — « Ainsi, ait SERMENT, là où d'autres théories voient la propriété d'une personne juridique, nous nous trouverions en présence d'un droit innommé, qui n'est pas la propriété parce qu'il n'a point de sujet, mais qui dans la catégorie des droits qui composent les patrimoines en vue d'un but, correspondrait exactement à la propriété ». *Loc. cit.*, p. 36.

(6) P. 991, sq. — Hæc autem persona non mere vices gerit mandatarii, procuratoris, tutoris : « der Vertreter würde auch hier überall ein Selbstberechtigter, nicht blos Mandatar, Procurator, Vormund geworden, und nicht erst zur Vertretung in Prozessen und Geschäften, sondern zu jeder

verum juris subjectum reduci videtur; quomodo autem hæc varia secum cohæreant non facile detegitur.

4) Alii ex adverso auctores personas dictas juridicas non minus veras realesque personas esse asseruerunt ac sunt ipsi homines individui. Hoc autem loco imprimis citanda *theoria* dicta « *voluntatis* » (Willenstheorie), cujus præcipui patroni sunt Zitelmann et Meurer (1). Qui tanquam principium ponunt « capacitatem voluntatis solam qualitatem necessariam esse, vi cujus ens persona sit, atque juris subjectum fieri possit » (2); hucusque quidem posset recte dici, sed ulterius pergunt, et explicite Meurer: « subjectum juris, inquit, non est homo, sed humana voluntas » (3). Huc igitur ipsis recidit quæstio : « Habentne corporationes et fundationes hujusmodi voluntatem quæ sit subjectum juris? » (4) Porro, quod ad corporationes speciatim attinet (5), quum unitas (Einheit) aliud quid sit a mera partium summa, in corporatione vero et associatione non summa tantum, sed unitas voluntatum existat, ens datur novum, reale et a partibus diversum, voluntas nempe communis, quæ subjectum est juris communitatis. Sed illa realis affirmata distinctio totius atque partium collective sumptarum, quasi rei ad rem, quantumvis eam in omni ordine Zitelmann prosequi conetur, plane rejicienda est.

5) Alia etiam via ad adstruendam naturalem societatis

Begründung, ja für das Dasein des Vermögens selbst nothwendig gewesen sein. » P. 992.

(1) *Opp. citt.*

(2) Zitelmann, *loc. cit.*, p. 68.

(3) *Loc. cit.*, p. 74.

(4) Meurer, *ibid.*

(5) Quonam autem titulo Meurer ab invicem distinguat corporationes, associationes, instituta... hic prosequi non intendimus.

personalitatem proceditur; auctores nempe sunt qui in evolvenda analogia humanæ societatis (præsertim ubi de Statu scribunt) cum organismo corporis viventis plus minus progrediuntur. Quæ, v. g. de Status natura habet Bluntschli (1), si intra debitos *comparationis* limites retineantur, admitti quidem possunt, modo in talibus sobrietatis norma non excedatur; sed his non explicatur qua ratione societas subjectum juris constituat; si vero cousque urgeatur hæc analogia, ut exinde concludatur humanam societatem veram personam esse, et quidem ab elementis quibus constituitur realiter distinctam, hujusmodi assertiones omni fundamento destituuntur.

Modo non plane absimili difficultatem solvere censet Giorgi (2), licet ipse nulli in specie hujus scholæ auctori se adhærere pronuntiet (3). *Universitas* realitas est, non utique physica, sed in quantum vox illa mero imaginationis partui opponitur. Ens est morale, non minus verum aut subsistens ac sunt organismi corporales; eo autem quod ad ipsum pertinat exercitium jurium privatorum, datur persona juridica. Porro, qua præcise ratione societatis membra ens illud morale constituunt non satis perspicitur.

6) In recensitis hucusque sententiis varios reperimus auctores etiam ad extrema declinantes, quatenus societas qua talis vel ad meram fictionem redigatur, vel ut persona a membris collective sumptis realiter distincta exhibeatur. Duplex sententia nobis referenda manet.

(1) *Théorie générale de l'État*, trad. DE RIEDMATTEN. Paris, 1881, pp. 14, sqq.

(2) *La Dottrina delle persone giuridiche o corpi morali*, vol. I, *Parte gen.* Firenze, 1889, pp. 52, sqq.

(3) Cf. *op. cit.*, vol. II, *Parte speciale*, *Lo Stato.* Firenze, 1891, *Avv. ai lettori*, p. VI, sq ; cf. *ibid.* pp. 37, sqq.

Theoriam quam in dissertatione universitati Genebensi a. 1877 proposita primus concinnavit Serment (1), exponit et vindicat cl. Prof. hujus Universitatis Lovaniensis Van Biervliet (2). Eam his verbis inducit Serment : « Le véritable sujet de droit dans la personne juridique, ne seraient-ce pas les personnes dont nous voyons la volonté perpétuellement agissante et déterminant à chaque instant, qu'il s'agisse de placements, d'aliénations, d'acquisitions ou de tout autre acte, le sort des biens consacrés au but qu'il s'agit de réaliser? Ne seraient-ce pas ces individus qu'on a considérés jusqu'ici comme de simples représentants ou organes, c'est-à-dire les administrateurs, en prenant ce mot dans un sens très large et en entendant par là tous ceux qui dans un cas donné peuvent être appelés à se prononcer sur l'administration des biens de la personne juridique? » (3) Atque, speciatim quod Statum attinet, scribit Van Biervliet : « Demander quel est le sujet d'un droit, c'est demander quel est l'être doué de raison et de volonté auquel appartient le pouvoir moral qui forme le droit. Or, en ce qui concerne l'Etat, la réponse nous paraît bien simple; c'est peut-être le motif pour lequel on ne s'y est pas arrêté. Ce sont des hommes qui exercent les droits de l'Etat, et ces hommes sont les véritables sujets de ces droits... Sans doute, les biens du domaine de l'Etat ne sont pas la propriété des ministres ni de leurs subordonnés. Ces biens ne sont, à

(1) *Op. cit.*

(2) *Des personnes civiles au point de vue des principes et des applications.* Ap. Maton, *Revue pratique du notariat belge*, 1888, n. 497, pp. 673, sqq.

(3) *Loc. cit.*, p. 43.

vrai dire, la propriété de personne; ce sont des *res nullius* en ce sens que personne n'a le droit d'en jouir et d'en disposer à son profit exclusif. Mais parce que ces biens n'ont pas de propriétaire, dans le sens strict du mot, il ne s'ensuit nullement qu'ils ne sont pas objets de droits réels. Ces droits, analogues sous beaucoup de rapports aux droits que les particuliers exercent sur les biens qui leur appartiennent, s'en distinguent en ce point qu'ils n'impliquent pas le pouvoir de disposer absolument, d'après la volonté suprême du sujet de ces droits, mais, au contraire, l'obligation de se servir des biens en vue d'un but nettement déterminé » (1). Hæc eadem principia auctor proxime citatus omni societati applicanda judicat, licet personalitas *civilis* non sit eo ipso societati cuilibet indiscriminatim vindicanda (2).

7) Ab hac theoria ea altera satis differt quæ proposita fuit a cl. Prof. ejusdem Facultatis Juris in Universitate Lovaniensi Van den Heuvel (3). Ipse quidem, præmonitis limitibus quos operi suo imponit : « Nous n'avons pas l'ambition de généraliser notre étude ni de l'étendre au delà des frontières du droit civil pour aborder les graves questions que présente le droit canonique » (4), sententiam suam his verbis aperit : « L'harmonie des droits individuels suffit pour justifier de la manière la plus rationnelle tous les résultats que l'on déduit de l'existence d'un être moral » (5). Comparationem quippe

(1) *Loc. cit.*, p. 679.

(2) *Loc. cit.*, pp. 681 sqq.

(3) *De la situation légale des associations sans but lucratif en France et en Belgique*, 2e éd. Bruxelles, 1884.

(4) *Loc. cit.*, p. 24.

(5) *Loc. cit.*, p. 42. Huic sententiæ adhæret c. DE VAREILLES-SOMMIÈRES, *Du droit d'association*. Ap. *Revue de Lille*, dec. 1889, pp. 149, sqq.

instituit inter societates quæ personificatione civili gaudent, in specie societates dictas *commerciales*, casque quibus personificatio civilis non conceditur, recensitisque variis hujus personificationis effectibus, concludit regulas ad priores spectantes absque ulla entis moralis fictione explicari posse (1). « Les sociétés qui ont la personnalité ne diffèrent pas essentiellement des sociétés qui ne jouissent pas du même avantage. Il n'y a entre ces deux espèces d'associations qu'une diversité de détails. Le fond du droit ne varie pas et la substance de l'acte juridique est identiquement la même dans un cas comme dans l'autre. La seule faveur qui résulte de la personnification, c'est que la pratique des affaires est considérablement facilitée : on n'est pas obligé de se soumettre à des formes de procédure longues et coûteuses; on peut, par le moyen de la distinction des patrimoines, assurer utilement une préférence à des créanciers exigeants; on possède enfin des droits qui, grâce à leur forme mobilière, se transmettent sans difficultés et sont sujets à une circulation rapide. C'est l'ensemble, le faisceau de ces privilèges qui constitue et qu'on a coutume d'appeler improprement la personnalité civile... La première conséquence à tirer de ces considérations, c'est que, dans l'ordre vrai des choses, qu'il y ait ou non personnification civile, les associés sont toujours les véritables propriétaires des meubles et des immeubles communs. Leurs droits ne changent point de caractère lorsque la société dont ils font partie devient un « être moral », c'est-à-dire une société privilégiée, ou lorsqu'elle cesse de l'être. Et, en effet,

(1) *Loc. cit.*, pp. 39-51.

est-ce que les citoyens, par exemple, ne sont pas les réels propriétaires du patrimoine qui appartient à l'Etat? » (1)

Porro, controversiæ statu ita indicato, eam sententiam stabilire conabimur quam amplectendam duximus, quamque supra jam enuntiavimus (2).

II. *Demonstratur thesis.*

Societas quælibet, latissimo quodam sensu, *persona moralis* dici potest. Superius enim, ubi societatis in genere notionem tradidimus, animadvertimus elementum formale cujusvis societatis esse conspirationem, qua plures homines idem apprehendant, idem velint, idemque prosequantur; exinde autem efficitur ut hominum illorum qui in societate coadunantur, una quodammodo jam sit mens seu sententia, una voluntas, operatio una.

Ast, ubi perquirenda occurrit ratio qua homines in societate constituti subjectum juris existant, attendendum imprimis est, varias societates quibus homines naturali impulsui quo ad vitam socialem aguntur fecerint satis, quarumque historicam evolutionem supra delineavimus, ad species valde diversas referendas esse. Siquidem homines conspirant modo *qua homines sunt*, scilicet *ob necessitatem naturæ humanæ*, ac proin *in finem omnibus communem*, modo *quatenus hi sunt homines individui, in finem sibi a libera voluntate præstitutum*. Neque igitur mirum si, pro diversa illa finis

(1) *Loc. cit.*, pp. 52, sqq.

(2) Cf. quæ ea de re doctissime scripsit G. J. Waffelaert, *Étude de théologie morale sur l'obligation en conscience des lois civiles*, ap. *Nouv. Revue théol.*, XVI, pp. 624, sqq; item. *Tract theol de virtutibus cardinalibus*, tract. II, *de Justitia*, I. Brugis, 1885, pp. 120, sqq.

natura, hominibus alio atque alio titulo societatem ineuntibus, nec sub eodem formali respectu in finem conspirantibus, non eadem reperiatur variarum societatum indoles.

Quando nimirum homines in communem finem conspirant quatenus homines sunt, inter collectionem membrorum *actu* bonum suum commune prosequentium atque societatem qua talem datur distinctio rationis cum fundamento in re (1). Quando vero in communem finem conspirant quatenus hi sunt homines individui, prædictæ distinctioni locus non habetur.

Prior namque societas a membris actualibus distinguitur, si societati qua tali essentialiter conveniunt qualitates quæ membris illis etiam collective sumptis attribui non possunt : ubi enim dantur diversæ qualitates essentiales, ibi et diversa natura. Huic vero societati naturales insunt notæ quæ membris actu communem finem prosequentibus tribui nequeunt. Quando enim homines in societate uniuntur, non quatenus hi sunt homines individui, sed quatenus *homines sunt et in finem communem humanitatis conspirant*, societas illa quam efformant non unice nititur singulorum membrorum actualium facto, sed in ipsa natura fundatur; finis quem homines qua tales conspiratione sua prosequuntur, finis non est talium determinatorum individuorum proprius, quasi societas, eo ipso quod actualia membra bonum

(1) *Distinctio*, quæ modo generali definitur carentia unitatis inter plura, dicitur *rationis cum fundamento in re*, quando distinctio non est quidem a parte rei, sed a parte mentis, ita tamen ut res una per plures conceptus inadæquatos exhibeatur; dum econtra, ubi datur distinctio *mere mentalis* seu *rationis tantum*, res una per plures conceptus exhibetur quorum idem plane est objectum.

suum obtinuerint, finem suum completum ipsa attigerit; sed, *prouti societas in ipsa natura stabili titulo fundatur,* finem prosequitur quod non sit tantummodo bonum hominum hujusce vel alius temporis, præcisione facta ab aliis, sed ipsum bonum generis humani. Jamvero, quovis tempore hujusmodi societas respiciatur, non est unice actualium membrorum collectio : sicut enim in ipsa *origine* non unice pendet a positivo singulorum membrorum facto, sed est *de se necessaria*, ita nec in *duratione* facto novorum membrorum unice nititur, sed est *de se perpetua;* et hoc quidem quia *finem* non prosequitur certis determinatis individuis unice proprium, sed finem homini qua tali ipsa natura præstitutum. Societati igitur de qua agimus qua tali, simplicique membrorum collectioni diversæ notæ naturales conveniunt, quarum comparatio, ut prædicta aliquantisper evolvamus, speciatim institui potest :

1) *Ex parte finis.* Si enim societas nihil esset *ex se* præter simplicem actualium membrorum collectionem, ea non daretur ex ipsa societatis natura relatio inter finem societati præstitutum atque proprium alicujus hominis finem ut, eo ipso quod homo sit, societas natura sua ordinetur ad media illi procuranda ad finem suum necessaria. Pactitiam quippe societatem nisi quis ingrediatur, nulla inter ipsius societatisque finem exsurgit relatio; quam societatem si de facto fuerit ingressus, ad ipsum, ut ita dicam, extenditur finis societatis. Nostra autem in societate modo plane diverso res procedunt. Societas pro omnibus existit quibus idem *naturalis* finis præstituitur; cujusvis aditu societatis finis non ampliatur neque extenditur, sed in tantum necessarium fit ingressionis factum, in quantum necessaria datur

relatio inter finem societatis præformatæ ac necessarium finem cujusque hominis proprium.

2) *Ex parte originis*. Etenim hujusmodi societas non unice nititur facto singulorum membrorum; quum factum illud causa sit simplici membrorum collectioni proportionata.

3) *Ex parte durationis*. Si nempe societas non esset nisi simplex membrorum collectio, non posset conservari ultra terminum vitæ membrorum actualium, nisi in quantum nova membra membris prætereuntibus seipsa surrogarent, suoque facto societatem in se renovarent, sicque tandem perpetuam facerent. Jamvero supra dicta relatio inter finem societatis finemque cujusvis hominis proprium in *ipsa societatis natura* fundatur, sicque societas (supposita hominum existentia) *ex se* vim habet, mortalibus membris prætereuntibus, nova sibi perpetuo membra surrogandi; dicitur ideo de se perpetua.

Ergo societas illa de qua agimus, quamvis nunc temporis in his membris concretam existentiam habeat, ab his etiam collective sumptis differt distinctione rationis cum fundamento in re. Quo facto simul ostendimus hujusmodi fundamentum in his societatibus deficere quas ineunt homines quatenus determinati sunt individui atque in finem libere propositum.

Eadem vero ratione qua societas necessaria a membris actualibus *in esse suo* distinguitur, ita et ab his differt *ut subjectum juris*; econtra, societas illa quæ, tota quanta est, a membris pendet quibus ipsa *actu* constat, sicuti ab iis in esse suo non distinguitur, ita nec subjectum juris ab illis distinctum constituit. Pro diversa igitur societatum natura, distingui potest *persona moralis vera seu proprie dicta* vel *fictitia*, consequenter *sub-*

jectum juris verum vel *fictitium*, adeoque *dominium vere* vel *per meram fictionem distinctum* a privato dominio membrorum (1).

Porro, hujusmodi societates in quibus homines, non qua individui homines determinati, sed qua homines et in finem communem humanitatis conspirant, sunt in ordine temporali societates publicæ civiles, in ordine spirituali societas publica hominum finem suum supernaturalem prosequentium, Ecclesia Christi.

Societas autem utraque publica plures veras communitates minores comprehendit, majori societati directe subordinatas. Quum enim fieri non possit ut tot homines, quot in magna societate congregentur, in societatis finem utiliter et ordinate conspirent, nisi ipsi in plures minores communitates distribuantur, eadem necessitas, propter quam major inducitur societas, harum quoque dependentium communitatum in magna societate existentiam postulat. Quæ societates singulæ cum majori societate a qua pendent non confunduntur; proprium finem habent, sed communi fini subordinatum et in eo formaliter contentum; propriam conspirationem, auctoritatem et operationem, licet superiori subordinatam; verbo, omnia eadem formaliter elementa complectuntur, sed *cum dependentia et subordinatione*. Itaque communitates illæ subordinatæ personæ morales veræ dicendæ sunt a principali societate dependentes, et in iis eo modo capacitas juris est agnoscenda.

Corollarium. — Paucis jam addendum est quomodo ad invicem se habeant *personalitas moralis* vel *juridica*, *personificatio civilis*. Quid sit personalitas moralis, fusius

(1) Cf. Waffelaert, *De Justitia*, *loc. cit.*, p. 121.

exposuimus. Termini illi « persona *moralis*, persona *juridica* », promiscue quidem adhiberi solent; strictius tamen loquendo dicetur persona *moralis*, quatenus ea in ipso suo esse spectatur, *juridica*, quatenus consideratur ut subjectum juris.

Persona vero moralis vera seu proprie dicta, si a lege civili agnoscitur ut dominii capax et subjectum juris, dicitur præterea *persona civilis*. Cæterum, « quando alicui societati, quæ de se non est persona moralis vera, tribuitur per quædam privilegia capacitas, ita ut assimiletur veræ personæ morali per fictionem legis, dicitur illa societas civiliter personificari, et fit persona civilis, dicique potest persona *mere* civilis, ut a priore distinguatur (1) »..

Denique societas publica certam bonorum suorum partem determinato cuidam fini, qui pars sit ipsius publicæ societatis finis, addicere potest, administratorum cætui ea bona committendo, quorum dominium penes personam moralem veram existit. Quod institutum si civiliter personificetur, per meram legis fictionem subjectum juris constituitur.

ARTICULUS II.

DE JURE PROPRIETATIS QUOD ECCLESIÆ EX IPSA SUA SOCIETATIS NATURA COMPETIT.

Cum demonstratum sit legitimæ hominum societati jus, utpote medium ipsi necessarium, competere acquirendi atque possidendi temporalia bona in ordine ad

(1) Waffelaert, *De Justitia*, *loc. cit.*, p. 123. Quoad has personas civiles de quibus ultimo loco, cf. Van den Heuvel, *locis supra indicatis*. Cf. etiam Rothe, *Traité de droit naturel*, I. Paris, 1885, pp. 572, sqq.

proprium finem, jus autem illud ita publicæ societati convenire ut ipsa qua talis subjectum juris illius existat, hoc nobis præstandum superest, ut ostendamus Ecclesiam Christi veram esse societatem externam atque visibilem; quam simul demonstrabimus necessariam esse, universalem et unicam societatem religiosam. Hanc autem Ecclesiam speciatim probabimus, non secus atque de qualibet hominum societate supra declaratum est, ipsa sua societatis natura bonis temporalibus indigere. Unde, pro duplici præcedentis articuli paragrapho, duplex eruenda conclusio, qua et ipsum Ecclesiæ jus stabiliatur, et de ratione qua jus illud Ecclesiæ competat pronuntietur.

Propositio I.

Ecclesia Christi vera societas est externa et visibilis, ipsaque necessaria est, universalis et unica societas religiosa.

Maximi sane momenti est ut sedulo firmetur hæc pars argumentationis nostræ, ob eam præsertim causam quod hæc Ecclesiæ notio apud plures auctores, qui de ipsius juribus scripserunt, vario modo perverti deprehendatur (1).

Christum Ecclesiam suam in formam veræ societatis instituisse luculenter manifestatur :

(1) Protestantes auctores plerique, licet etiam ecclesias singulas communitates quasdam esse admittant, ipsam Ecclesiam a Christo tamquam veram societatem externam conditam esse negant; hanc autem socialem, quæ ab iis agnoscitur, formam operi Christi superinductam esse contendunt, eamque proinde ut hominum institutionem exhibent. — Cf. etiam quæ de Ecclesiæ natura traduntur ap. Vauthier, *loc. cit.*, pp. 66, 71; quænam autem ex his principiis consequentiæ deducantur, cf. pp. 148, sqq.

1) *Ex SS. Scripturis.*

Et re quidem ipsa, veram ibi adesse societatem præmonuimus, ubi multitudo adest hominum ad communem finem per communia media sub legitima potestate conspirantium.

Jamvero Christum Dominum his elementis Ecclesiam constituisse tum SS. Evangelia, tum Apostolorum praxis atque doctrina unanimi voce prædicant.

A) *Ex verbis Christi fundatoris Ecclesiæ.*

Christus Salvator his in terris visibiliter conversans Ecclesiam suam condidit, A) *cœtum quemdam hominum instituendo*, quos illius constituendæ societatis membra designavit. Ex Evangeliis enim constat plures ipsum fuisse secutos, ex quibus duodecim elegit : « Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos : et elegit duodecim ex ipsis (quos et apostolos nominavit) » (1). Hos autem Apostolos misit Christus in mundum ut Evangelium prædicarent *omni creaturæ* (2), ut pro potestate illa qua gentes universæ hæreditas ipsius sint atque possessio ejus termini terræ (3), qua omnes populi, tribus, et linguæ ipsi serviant (4), legati Christi doctrinam ejus humano generi annuntiarent, omnesque homines in discipulos ipsi colligendo mundum universum ad hunc efformandum cœtum vocarent : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete *omnes gentes* (μαθητεύσατε, discipulos facite) » (5). Qui cœtus ad finem usque mundi perduraturus est : « Et ecce ego

(1) Luc., VI, 13. Cf. Marc., III, 13, 14.
(2) Marc., XVI, 15.
(3) Psalm., II, 8.
(4) Daniel., VII, 14.
(5) Matth., XXVIII, 18, 19.

vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi » (1).

b) Huic hominum multitudini præstituit Christus *finem communem*, finem scilicet proximum, sanctificationem hominum, finem vero remotum, vitam æternam. Sicuti enim ipse missus a Patre in mundum venit « ut salvetur mundus per ipsum » (2), « ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam » (3), et « ut vitam habeant, et abundantius habeant » (4); ita et Ecclesiam suam ædificavit, tradendo Petro « claves *regni cœlorum* » (5); Apostolos misit quibus missionem suam continuandam commisit : « Sicut tu (Pater) me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum » (6), ipsos autem alloquendo, « sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (7), ut nempe homines et viam salutis edoceantur (8), et « liberati a peccato » fructum suum habeant « in *sanctificationem*, finem vero *vitam æternam* (9). Et ad hunc finem Christus omnia media in

(1) Matth., XXVIII, 20.
(2) Joan., III, 17. Cf. Matth., XVIII, 11.
(3) Joan., VI, 40. Cf. Joan., III, 15, 16.
(4) Joan., X, 10.
(5) Matth., XVI, 19. Cf. A. Liagre, *Commentarius in libros historicos Novi Testamenti*, I. Tornaci, 1883, pp. 61, sq.
(6) Joan., XVII, 18.
(7) Joan., XX, 21. — Cf. Van den Berghe, *loc. cit.*, p. 18.— Mazzella, *De Religione et Ecclesia*. Romæ, 1885, pp. 389, sqq ; 365, sqq. — « Duplex Christi opus distinguere oportet; alterum, quo nos redemit : et hoc quidem in cruce consummavit, nam *unica oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* (*Hebr*. X, 14); alterum, quo passionis suæ merita in singulos derivat eisque applicat. Hoc *applicationis opus* ab Ecclesia et per Ecclesiam est continuandum ». Hurter, *Theol. Dogm. comp.* Œniponte, 1885, I, p. 205.
(8) Matth., XXVIII, 19, 20.
(9) Rom., VI, 22. — Cf. Fink, *loc. cit.*, pp. 70, 71.

Ecclesia disposuit : « Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, *ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi* » (1).

c) His autem Ecclesiæ membris assignavit Christus Dominus, ad communem finem obtinendum, *media communia*, et hujusmodi quidem quæ Ecclesiam uti societatem externam ac visibilem apertissime exhibeant. Hæc nempe præcipua media sunt :

α. *Fidei professio, etiam externa.* Christus enim diserte pronuntiat : « Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est : qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est » (2). Et Apostolus *ad Rom.* ait : « Corde enim creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem » (3).

β. *Eorumdem visibilium sacramentorum usus*, quæ hic saltem quatenus externa vincula spectantur atque consociationis signa (4). Dominus, Apostolos mittendo : « Euntes ergo, inquit, docete omnes gentes, *baptizantes eos* in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti » (5); baptismo autem, testante Apostolo, omnes nos, licet multi, in unum corpus coadunati sumus, corpus nempe Christi mysticum, quod est Ecclesia : « In uno Spiritu

(1) Ephes., IV, 12. — Cf. Chrysost., *In Epist. ad Ephes.*, homil. XI, n. 2. Ed. Migne, *P. G.*, LXII, coll. 82, 83.

(2) Matth., X, 32, 33. — Cf. Marc., VIII, 38; Luc., IX, 26; XII, 8, 9; II Tim., II, 12.

(3) Rom., X, 10.

(4) Cf. Ill. Feye, *Jus eccl. publ.* (autogr.), lib. I, c. II, pp. 11, sq.

(5) Matth., XXVIII, 19. — Cf. Marc., XVI, 16; Joan., III, 5.

omnes nos in unum corpus baptizati sumus » (1). Item vero Christus : « Nisi *manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem*, non habebitis vitam in vobis » (2). Et iterum Paulus : « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus » (3). Nonne denique Apostoli ea præditi potestate constituuntur qua quæcumque super terram *alligent* vel *solvant* (4), quibus et a Christo dicitur : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt » (5)? Horum vero quæcumque etiam præter catholicam doctrinam intrudatur explicatio, fatendum saltem est in his media communia et externa fidelibus proponi in ordine ad prosequendum communem finem.

γ. *Relationes fidelium ad invicem*, illæ nempe relationes charitatis et misericordiæ quibus promisit Christus regnum cœleste promeritum fore (6), quibusque voluit ut discipuli ejus agnoscantur : « Mandatum novum do vobis : ut diligatis invicem sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » (7). Fideles igitur se mutuo juvare debent, ad æternam præsertim adipiscendam salutem (8).

Sed eæ jam speciatim attendendæ occurrunt relationes quas habent fideles ad pastores quibus Christus Ecclesiam suam regendam ac pascendam commendavit.

(1) I Cor., XII, 12, 13.
(2) Joan., VI, 54.
(3) I Cor., X, 17.
(4) Matth., XVIII, 18. — Cf. Matth., XVI, 19.
(5) Joan., XX, 23.
(6) Matth., XXV, 35, sqq.
(7) Joan., XIII, 34, 35. Cf. Joan., 12, 17.
(8) Feye, *loc. cit.*, pp. 12, 13.

D) Divinitus provisum est, prouti in ipso institutionis Ecclesiæ facto declaratur, ut fideles in adhibendis mediis ad communem finem necessariis *auctoritate* dirigerentur, ad quam potestatem pertineret salutis media fidelibus dispensare, divinam Christi doctrinam homines edocere, Ecclesiamque, ipso communicato Filii Dei imperio, triplici auctoritate legislativa, judiciaria et coercitiva ea efficacitate regere, ut quæ ligata solutave in terris fuerint,apud Deum ligata vel soluta habeantur. « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (1), eadem quippe participata potestate prædititi. « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo *docete... baptizantes...* docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis » (2). « Quæcumque alligaveritis... erunt ligata et in cœlo » (3). « Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit, qui autem me spernit, spernit eum qui misit me » (4). « Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus » (5). Quare et Apostolus : « Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei » (6).

Christus vero reliquis Apostolis universoque creden-

(1) JOAN., XX, 21. In hæc pulchre S. JOANNES CHRYSOSTOMUS : « Quia igitur obices omnes sublati sunt, victoriam splendidam constituit, omniaque recte completa sunt; deinde ait demum : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Nullam habebitis difficultatem, tum ob ea quæ facta sunt, tum ob meam mittentis auctoritatem. Quapropter hoc dicit, illorumque animum erigit, et magnam verbis fidem facit, si quidem velint opus ipsius suscipere. Neque ultra Patrem rogat, sed auctoritate sua virtutem illis indit ». *In Joannem*, homil. LXXXVII (al. LXXXVI), n. 3. Ed. MIGNE, *P. G.*, LIX, coll. 470, 471.

(2) MATTH., XXVIII, 18-20.

(3) MATTH., XVIII, 18.

(4) LUC., X, 16. Cf. MATTH., X, 40.

(5) MATTH., XVIII, 17.

(6) I Cor., IV, 1.

tium cœtui unum ex illis præfecit, Petrum scilicet, quem visibile caput Ecclesiæ suæ constituit, primatum illum solenniter promissum : « Tu es Petrus, et *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam...* et tibi dabo *claves regni cœlorum...* » (1) post resurrectionem suam ipsi reapse conferens dicendo : « Pasce agnos meos... Pasce oves meas » (2); in quo principatus munere Petrus ex eadem Christi institutione perpetuos successores habere debet (3).

Nullum igitur deficit elementum quo Ecclesia Christi *vera societas* constituatur, et quidem *externa et visibilis;* societas non est modo hominum cum Deo, sed et hominum inter se mutuo colligatorum, socialis autem conjunctio exteriores actus supponit (4); quare, vincula socialia dantur externa atque visibilia. Ideoque Ecclesia verissime *Regnum* est : « Tibi dabo claves regni cœlorum » (5); *Domus* est : « Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est ecclesia Dei vivi... » (6); *Civitas* est (7), et *Ovile* : « Et fiet unum ovile et unus pastor » (8). « Pasce agnos meos... oves meas » (9).

(1) Matth., XVI, 18, 19. — Cf. Mazzella, *loc. cit.*, pp. 365, sq.; 654, sqq.; Palmieri, *Tract. de Romano Pontifice.* Romæ, 1877, pp. 225, sqq.

(2) Joan., XXI, 15-17. Cf. Palmieri, *loc. cit.*, pp. 291, sqq.; Mazzella, *loc. cit.*, pp. 671, sqq.

(3) « Quod autem in Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiæ instituit, id, eodem auctore, in Ecclesia quæ fundata supra petram ad finem sæculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. » Pius IX in Conc. Vatic. *Pastor æternus. Collect. Lac.*, VII, col. 483. Cf. Palmieri, *loc. cit.*, pp. 319, sqq.; Mazzella, *loc. cit.*, pp. 702, sqq.

(4) Cf. Palmieri, *loc. cit.*, p. 38.

(5) Matth., XVI, 19.

(6) I Tim., III, 15.

(7) Apoc., XXI, 2; Ephes., II, 19.

(8) Joan., X, 16.

(9) Joan., XXI, 15-17.

B) *Ex doctrina et praxi Apostolorum.*

α) Pluries jam adducti sumus ut ad hanc Apostolorum doctrinam alluderemus; apertissima quippe est, siquidem ab his exhibetur Ecclesia tum ut *grex* (cœtus) qui pascendus committitur *pastoribus* (auctoritati) (1); tum ut *corpus unum* (societas), etsi pluribus *membris* constitutum, quæ intima necessitudine sibi invicem conjunguntur, quibus diversis membris eadem quidem non committuntur *munera* (media : alii apostoli, alii prophetæ, alii doctores...), ita tamen ut *officia illa varia* in conservationem et bonum *totius corporis* distribuantur atque conspirare debeant (finis socialis), « ut non sit schisma in corpore » (unitas socialis) : quam comparationem ex humano corpore assumptam Apostolus corpori Christi mystico expresse applicat : « Sicut enim corpus unum est... ita et Christus... Vos autem estis corpus Christi (2) ».

β) Et huic doctrinæ consentientes, Apostoli christianas communitates latis legibus dirigunt (3), dissentiones ortas circa fidem et mores auctoritate sua componunt (4), varios abusus arguunt (5), eos qui « circa fidem naufragaverunt » (6) vel majora quædam ac publica crimina admiserunt (7) a communitate excludunt.

Quæ omnia certe externam societatem supponunt.

(1) I Petr., V, 2; Act., XX, 28.

(2) I Cor., 12-30; Ephes., IV, 1-16. Cf. Van den Berghe, *loc. cit.*, p. 19.

(3) Act., XV, 28, 41; XVI, 4; I Cor., XIV, 26-40. Hujusmodi præceptis refertæ sunt Apostolorum epistolæ.

(4) Act., XV, 5, sq.

(5) Cf. I Cor., capp. I-VI.

(6) I Tim., I, 19, sq.

(7) I Cor., V, 1-5.

2) *Ex SS. Patribus.*

Ecclesiam a Christo conditam fuisse tanquam veram societatem externam ac visibilem præclare docent SS. Patres. S. Clemens Romanus, vergente sæculo I, Corinthios adhortans ut, exstincto schismate, eorum Ecclesia paci et unitati restituatur, tum pluribus describit, qua ratione in *exercitu* res procedant : « Consideremus milites, qui sub ducibus nostris merent, quam ordinate, quam obedienter, quam submisse imperata exsequantur. Non omnes sunt præfecti neque chiliarchæ neque centuriones neque quinquagenarii... » (1), tum qualiter in *corpore* nostro « membra universo corpori necessaria et utilia sint; immo cuncta conspirent et una se subjiciant, ut salvum sit totum corpus » (2). Pergit autem ostendendo et hæc in corpore Christi mystico observanda esse, ut quisque nempe suum locum teneat « juxta gratiæ donum ipsi assignatum... præscriptam ministerii sui regulam non transgrediens », ut ii speciatim e munere suo non dejiciantur qui Ecclesiæ legitime præfecti fuerint et « inculpate *gregi Christi* » deservierint (3).

Atque, ut ex epistolis S. Ignatii aliquid seligamus, ipse ad Smyrnæos scribit : « Omnes episcopo obtemperate, ut Jesus Christus patri, et presbyterio ut apostolis; diaconos autem revereamini ut Dei mandatum. Separatim ab episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad ecclesiam spectant... Ubi comparuerit episcopus,

(1) Epist. I Clem. *ad Corinth.*, cap. XXXVII. Funk, *Opera Patrum Apostolicorum.* Tubingæ, 1887, I, p. 107.

(2) *Ibid.*, pp. 107-109.

(3) *Ibid.*, capp. XXXVIII, XL, XLI, XLIV. Cf. capp. seqq. passim.

ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est ecclesia » (1).

Quot in scriptis Patrum loca sint in quibus Ecclesia visibilis prædicetur et conspicua, nostri non est hoc loco fusius evolvere. Notum quippe satis est quam libenter eam exhibuerint sub nomine *civitatis* supra montem positæ (S. August., de Unit. Eccl., c. 16), *domus* supra verticem montium omnibus manifestæ (Chrysost., in Isaiam, c. 2), vel eam aliis hujusmodi vocibus designaverint, quæ Ecclesiam tamquam societatem externam aperte proponant (2).

Ex dictis concludere licet Ecclesiam Christi veram societatem esse; et quidem, societatem religiosam *universalem* : « Prædicate Evangelium omni creaturæ » (3); societatem *necessariam* : « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur » (4), « Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit » (5); ideoque et *unicam* veram societatem religiosam.

Corollaria. — Ex ipsa tradita societatis ecclesiasticæ notione, sequitur :

1) *Ecclesiam Christi societatem esse a societate civili prorsus distinctam.* — Si enim, prouti supra disseruimus, diversitas essentialis societatum ab earum fine pendet, adeoque duæ societates ipsarumque potestates sunt ab invicem essentialiter distinctæ eo quod proprii

(1) Cap. VIII. Funk, l. c., p. 241. Cf. plura testimonia indicata ap. Feye, l. c. p. 14.

(2) Cf. Palmieri, *loc. cit.*, pp. 38, sq.; Hurter, *loc. cit.*, I, pp. 200, sq.

(3) Marc., XVI, 15.

(4) Marc., XVI, 16.

(5) Luc., X, 16.

earum fines distincti sunt (1), quis ambigere potest Ecclesiam, cujus finis proximus est ut homines in hac terra sanctificet, eosque efficiat « divinæ consortes naturæ » (2), finis vero remotus ut eos ad æternam in Dei visione beatitudinem perducat, a societate civili, cujus finis proprius omnis in ordine naturali ac temporali continetur, vere et omnino distinctam esse? (3) Quam doctrinam solenniter affirmat SS. Leo XIII : « Hæc societas (Ecclesia) quamvis ex hominibus constet non secus ac civilis communitas, tamen *propter finem sibi constitutum, atque instrumenta quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis, atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili* » (4).

2) *Ecclesiam Christi societatem esse a societate civili plane independentem.*

Societatis quippe natura ex ejus fine dignoscitur, eaque unius ad alteram datur relatio quæ et inter utriusque finem intercedit; ea ergo sola societas ab altera pendet, cujus finis sive in alterius societatis fine continetur (dependentia directa), sive alterius societatis fini subordinatur (dependentia indirecta). Jamvero finis Ecclesiæ neque in fine societatis civilis continetur, a quo toto genere differt; neque huic fini ullo modo subordinatur, quum finis Ecclesiæ procuratio sit finis hominum *ultimi*, cui finis quilibet intermedius natura sua subordinetur.

(1) Cf. p. 17.

(2) II Petr. I, 4.

(3) Cf. Van den Berghe, *loc. cit.*, pp. 44-48; Moulart, *loc. cit.*, pp. 149-151.

(4) Encycl. Leonis XIII *Immortale Dei*, 23 Dec. 1886.

3) *Ecclesiam Christi societatem esse perfectam.*

Ea enim societas perfecta est quæ finem habet in ordine suo completum, omniaque media ad hunc finem consequendum necessaria. Atqui finis Ecclesiæ, qui in hoc est ut homines per eam finem suum ultimum attingant, juxta statim dicta, respectu finis nullius societatis rationem habet partis vel medii; ipsa vero, si fine suo suprema est, neque dici potest in adhibendis mediis ad hunc finem necessariis ab alia societate pendere (1).

Propositio II.

Ecclesia ad prosequendum suum finem bonis temporalibus indiget.

Ecclesia enim, eo ipso quod externa sit hominum societas, communibus humanarum societatum exigentiis ac necessitatibus subjicitur. Ipsa quidem societas spiritualis est ratione finis ad quem contendit, ideoque ad hunc finem spiritualem omnia media, quæcumque sint, referri debent; at, ratione subjecti quod intendit Ecclesia ad hunc finem perducere, ea non est quid mere spirituale, quasi puris spiritibus constans, sed vera societas hominum, anima et corpore compositorum, externis etiam vinculis coadunatorum. Quapropter, si media eam habitudinem habere debent ad *finem* ut ad hunc finem conducant, eam etiam proportionem *ad societatis membra* debent præ se ferre, ut nata sint *illa membra* pro ipsorum natura ad communem finem promovere. Itaque Ecclesia, licet finem prosequatur spiritualem, sanctifi-

(1) Cf. Tarquini, *loc. cit.*, p. 35.

cationem scilicet æternamque hominum salutem, finem prosequitur *hominum*, nec tantum indiget mediis mere spiritualibus, sed et externis ac sensibilibus pro sua externæ hominum societatis natura. Et re quidem vera, Ecclesia, utpote societas publica, ministros habet proprios, qui toti animarum saluti incumbunt atque, juxta vocem Apostoli, « spiritualia seminant » (1), qui ecclesiastica munera obeunt, variaque officia ad Dei cultum pertinentia peragunt. Sicut autem in civili societate publicorum officialium sustentationi prospicitur, nec miles « militat suis stipendiis » (2), ita et in Ecclesia ministrorum necessitatibus providendum est, de quibus Christus : « Dignus enim est operarius cibo suo » (3), Paulus autem : « Ita et Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere » (4). Præterea, ut Ecclesia missionem suam inter homines adimplere possit, templis indiget manufactis ac materialibus, in quibus Deo sacrificium offeratur, congregati fideles preces fundant, divinum verbum excipiant, sacramenta aliaque religionis subsidia recipiant : sacræ igitur ædes ædificandæ sunt, instaurandæ ac conservandæ. Sed et alia plura ad cultum externum debite celebrandum requiruntur : sacra nempe vasa, vestes, omniaque ad templorum altariumque ornamentum pertinentia. Erigenda deinde sunt clericorum seminaria, in quibus ii qui sacerdotio se mancipare intendunt debite instituantur atque ad ecclesiastica ministeria præparentur (5).

(1) I Cor., IX, 11.

(2) *Ibid.*, 7.

(3) Matth., X, 10. Cf. A. Liagre, *loc. cit.*, I, p. 178.

(4) I Cor. IX, 14. Cf. S. Thomas, 2a 2æ, q. LXXXVII, art. I, corp.; art. IV, ad 3um.

(5) Cff. litt. SS. Leonis XIII a l Archiepp. et Epp. Borussiæ, 6 Jan. 1886.

An denique recensenda sint tot opera pietatis et charitatis quibus perficiendis Ecclesia, divini sui conditoris præcepto obsecundans, eumque in membris suis patientientibus enutriens, colligens, cooperiens ac visitans (1), ita facultates suas semper insumpsit, ut res Ecclesiæ « res pauperum » sæculorum decursu vocari solerent? Adeo semper Ecclesia missionis suæ adimpletioni charitatis exercitium connexuit. His autem officiis ac operibus absque impensis et sumptibus satisfieri nequit, ideoque Ecclesia ad prosequendum finem sibi præstitutum bonis etiam temporalibus indiget.

Conclusio Iª. — Ergo Ecclesia, ipsa sua societatis natura, proprium atque independens jus habet acquirendi ac possidendi bona temporalia; bona ab Ecclesia legitime acquisita ipsius bona sunt propria, neque jus sæculari potestati ullo titulo competit ut ea sibi vindicet aut de illis pro suo judicio arbitrioque disponat.

Neque attendendus qui dicat : Sed expensis Ecclesiæ necessariis oblationibus voluntariis fidelium prospici potest. Nam 1) quid exinde contra propositum argumentum? Ostendimus nimirum societatem hominum honestam ac legitimam jure pollere media sibi providendi ad finem suum necessaria, adeoque bona possidendi temporalia; Ecclesiam autem veram esse et utique legitimam hominum societatem, quæ et his bonis egeat. Jamvero jus illud ex eo minime tollitur quod posset Ecclesiæ necessitatibus voluntariis fidelium donis provideri, quum id non mutet ipsius indolem societatis externæ communibus vitæ exigentiis subditæ; qua ex indole jus propria bona possidendi colligitur. 2) At illa via nequaquam

(1) Matth., XXV, 35, 36.

Ecclesiæ necessitatibus sufficienter provideretur, ipsaque a permultis præstandis operibus præpediretur, quum in singulis ac valde diversis temporum et circumstantiarum exigentiis congruæ oblationes expectari deberent. 3) Fatendum tandem esset harum saltem oblationum possessionem ad Ecclesiæ jus pertinere (1).

Hoc autem loco, attentis his quæ de respectiva Ecclesiæ et Status natura exposuimus, refutatione vix indigent ii qui sufficere contendunt si civilis potestas licentiam acquirendi et possidendi Ecclesiæ tribuat. Præterquam enim nihil iterum contra positum argumentum probatur, istiusmodi notio Ecclesiæ naturæ, tum nempe ipsius a civili societate distinctioni, tum ejusdem independentiæ, apertissime contradicit (2). Et quum denique fuerint qui melius Ecclesiæ bono consuli asseruerint, si ejus ministri a civili gubernio ex ærario publico stipendia recipiant, quum ita, rerum temporalium cura liberati, rebus divinis expeditius vacare possint, hæc cum Liberatore reponere liceat : « Mira est nonnullorum pietas et studium divinæ gloriæ, quam tunc tantum ostendunt, cum de Ecclesia spolianda agitur! At quoniam tanta religione moventur, angi desinant. Nam quid magis divino cultui et sacerdotii muneribus libere exercendis expediat, nemo melius dijudicare potest, quam ipsa Ecclesia. Hæc autem contrariam opinionem semper sequuta est. Et merito; nam in primis cura carpendi fructus e propriis prædiis fere nulla est; cum contra tenor oppositus magnam sollicitudinem ingerat, sive propter exiguitatem stipendii,

(1) Cf. Feye, *loc. cit.*, p. 134.
(2) Cf. Feye, *loc. cit.*, p. 133.

sive propter repulsam et dilationem, quam pati potest et sæpe patitur... Præterea, agendi ratio, quam adversarii proponunt, nocentissima est libertati Ecclesiæ et ejus naturæ repugnans. Nocet quidem libertati Ecclesiæ, quia sic civilis potestas perfacili medio potitur adducendi clerum quo velit, quum ipsi resistenti stipendium negare possit. Repugnat autem naturæ Ecclesiæ; quia hoc modo clericalis ordo assimilatur conditioni civilium administrorum, atque ita facto saltem negatur existentia ecclesiasticæ societatis tamquam a civili distinctæ atque independentis. Quivis enim minister ab ea societate stipendia recipere debet, cujus ministerio fungitur; ac proinde qui a civili ea recipit, ut ejus instrumentum consideratur » (1).

Corollarium. — *De obligatione Status Ecclesiæ tribuendi « personificationem civilem »* (2). Illa Status obligatio manifestissime elucet : 1) *Ex officiis Status erga Ecclesiam.* Etenim, vi ipsius ordinis a Deo constituti, Status officio tenetur Ecclesiam agnoscendi, ejus jura tuendi, illamque in prosecutione sui finis adjuvandi. Ecclesia vero ipsa sua natura jure pollet acquirendi et possidendi bona temporalia; quod tamen jus, nisi civiliter agnoscatur, nec plenam neque imo sufficientem in ordine externo efficacitatem et tuitionem obtinere potest (3). 2) *Ex officiis Status erga cives.* Officium quippe

(1) *Loc. cit.* p. 320.

(2) Cf. supra p. 51.

(3) Apposite cl. Moulart : « La loi qui refuserait aux individus et aux familles la garantie de leurs propriétés serait avec raison considérée comme une loi barbare; mais le droit de l'Eglise est-il moins respectable? Il repose, au contraire, sur des titres plus nombreux et plus sacrés. » *Loc. cit.*, p. 551.

Status primarium est civium jura ita tueri ut ipsi jura sua, eaque præsertim quæ iis maxime necessaria sunt, quam liberrime exercere possint. Jamvero catholicis civibus jus inest, imo et obligatio, ea temporalia bona Ecclesiæ præstandi quibus hæc et existere valeat et divinam suam missionem adimplere. Igitur officium Statui incumbit et illud civium jus tueri, agnoscendo nempe capacitatem Ecclesiæ illa possidendi bona quæ ipsi a fidelibus tribuuntur, illaque bona adversus invasoris cujuslibet cupiditatem protegendo. 3) *Ex officiis Status erga seipsum, seu ipsam societatem civilem.* Hoc enim postulat ipsius civilis societatis utilitas tum moralis, tum etiam materialis. *a*) Utilitas quidem *moralis :* religio ad bonum societatis civilis plurimum confert et ad ipsius perfectionem maxime requiritur; itaque in ipsius societatis civilis morale bonum cedit ut Ecclesia ea bona possidere possit quæ ei ut existat necessaria sunt, quibusque denique Ecclesia utitur ut civium animi ad religionem et ad probos mores informentur. *b*) Utilitas quoque *materialis :* abstrahendo ab omni speciali Status obligatione, qualis in his regionibus viget ubi Ecclesia possessionibus suis spoliata fuit, onus Statui incumbit, ubi privatorum largitates non sufficiunt, Ecclesiæ necessitatibus providere. Porro medium aptissimum quo necessitatibus Ecclesiæ subveniatur, illud sane est ut ipsius capacitas agnoscatur : hac autem agnita, obligatio Status fidelium largitionibus multum minuetur, imo plerumque ad nihilum redigetur (1).

(1) Cf. Van den Berghe, *loc. cit.*, pp. 304, sqq.; Moulart, *loc. cit.*, pp. 552, sqq.; Waffelaert, *Etude de théol. mor. sur l'obligation en consc. des lois civiles*, ap. *Nouv. Revue théol.*, XVII, pp. 184, sqq. Quod eas speciatim regiones attinet in quibus religionis unitas non obtinet, cf. Moulart, *loc. cit.*, pp. 552, sq.

Ex dictis apparet personificationem civilem, quatenus Ecclesiæ tribuitur, nullatenus *privilegium* seu gratuitam Status concessionem reputari posse. — Nec tamen exinde sequitur hanc civilem personificationem eodem jure cuilibet hominum societati etiam voluntariæ vindicari. Ab his quippe differt Ecclesia quatenus ipsa sola societas necessaria est atque a civili societate natura sua independens; et ideo, licet potestas civilis, quoad liberas hominum associationes, eas conditiones apponere possit quas ipsa necessarias judicat ut publicæ incolumitati prospiciatur, nullam tamen restrictionem, nisi ipsa probante Ecclesia, agnitioni jurium Ecclesiæ imponere valet (1).

Conclusio IIa. — Ecclesia, quum a Christo condita fuerit pro omnibus hominibus tamquam societas necessaria, quumque proinde societas sit non determinatorum tantum individuorum, sed *hominum* quatenus ipsi finem suum supernaturalem prosequuntur, ipsa qua talis subjectum juris efformat distinctum distinctione rationis cum fundamento in re a simplici actualium membrorum collectione. Sane, societas illa consectarium non est humanæ naturæ in sua propria conditione consideratæ, quasi naturalis daretur exigentia ad hunc finem consequendum cujus procuratio finis est Ecclesiæ proprius. Verum, in ordine historico seu reali, homo ad finem non ordinatur mere naturalem, sed unicus jam finis hominum ultimus « consistit in visione divinæ essentiæ, videre autem Deum per essentiam est supra naturam non solum hominis, sed etiam omnis creaturæ » (2);

(1) Cf. Waffelaert, *loc. prox. cit.*, pp. 186, sq.
(2) S. Thomas, 1a 2æ, q. V, art. V, corp.

finis vero hujusmodi, quum solis naturæ viribus attingi nequeat, media quoque supernaturalia supponit, qualia sunt fides et gratia. Porro Christus Ecclesiam suam instituit ut homines in ea et per eam media salutis consequerentur, adeo ut qui extra Ecclesiam propria culpa constituti ex hac vita decedant, prædictum finem obtinere nequeant; si quis autem supernaturalem hanc vitam respuerit, si quis in Christo, qui « vitis » est vitamque « palmitibus » infundit, per fidem et charitatem non manserit, « mittetur foras sicut palmes et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent et ardet » (1) : unde Augustinus : « Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis aut ignis; si in vite non est, in igne erit; ut ergo in igne non sit, in vite sit » (2). Itaque unicus finis ultimus humano generi sub æternæ damnationis pœna proponitur, finis nempe supernaturalis; Christus autem Ecclesiam suam, societatem hominum supernaturalem, instituit, ut per eam et in ea tantum homines hunc finem necessarium consequantur (3).

Ecclesia ergo verissime persona moralis dicenda est, ejusque membra jure homines sunt qui, quotquot in mundo versantur, omnes uni eidemque supremæ auctoritati subjiciuntur.

(1) Joan., XV, 4, sqq.

(2) *In Joannis Evang.*, tract. LXXXI, n. 3. Ed. Migne, *P. L.*, XXXV, col. 1842.

(3) De facto quidem homo ad Ecclesiam non pertinet nisi per baptismum : homo enim, propter Adæ peccatum, in his conditionibus non nascitur in quibus a Deo primitus conditus fuerat, gratia scilicet nascitur orbatus quæ omnibus hominibus secundum voluntatem Dei conditoris inesse deberet : hæc autem carentia gratiæ, posita Dei ordinatione, in homine vere defectus est et privatio; qui defectus tollitur per baptismum, quo homo ad gratiæ vitam renascitur et Ecclesiæ de facto inseritur.

Hoc autem probato, dominium nempe penes Ecclesiam esse quatenus ipsa societas est, partim jam, quod antiquam illam inter catholicos auctores vigentem controversiam attinet de ecclesiastici dominii subjecto, quo nos conferamus indicavimus.

Alii nimirum auctores bonorum ecclesiasticorum dominium proxime apud ipsum *Deum* vel *Christum* reponunt, et hi quidem illis maxime nituntur Canonum verbis quibus Ecclesiæ bona *res Dei* (1), *res dominicæ* (2), *pecuniæ Christi* (3), *patrimonium Christi* (4) appellantur. Sed et hæ locutiones cum eo quod Ecclesia subjectum juris sit apprime componuntur. Bona enim Ecclesiæ, si finis eorum respiciatur, res sunt Deo sacratæ, Christi et Dei intuitu Ecclesiæ oblatæ, ad cultum et honorem Christi et Dei specialiter deputatæ, adeoque et a profanis usibus ac ministeriis remotæ. Bona illa ad Ecclesiam Jesu-Christi pertinent, quæ tota ipsius est, utpote « quam acquisivit sanguine suo » (5), quæ ejus est *corpus mysticum*, in qua omnis potestas a Christo *capite* derivatur, in qua nempe Christus « perpetuo exercet

(1) Ita, v. g., Can. Apost., ex recensione Dionysii Exigui, 39. Ap. Harduinum, *Acta Concil.*, I, col. 37. Conc. Tridentinum, sess. 25, *de reform.*, c. 1.

(2) Can. Apost., 30. Ap. Hard., col. 47.

(3) Can. *Qui Christi*, 1, causa XII, q. 2.

(4) Cap. *Cum secundum*, 16, *de Præbendis*, III, 5; cap. *Cum ex eo*, 34, *de Electione*, I, 6 in VI. Cff. Navarrus, *de Reditibus ecclesiasticis*, q. I, monit. 40. Opp. I, qui hanc sententiam « communem » vocat atque fuse propugnat; Azorius, *Instit. mor.*, part. II, lib. VI, cap. I, qui eam « probabiliorem » censet; Reiffenstuel, *Jus canonicum universum*. Parisiis, 1867, IV, p. 372; Suarezius, *Defensio fidei catholicæ*, l. IV, c. 18, nn. 7, 8, qui eamdem sententiam « satis piam et probabilem » dicit; Phillips, *Du droit ecclésiastique dans ses principes généraux*, trad. Crouzet. Paris, 1850, t. II, p. 442; cf. etiam Uhrig, *Das Kirchengut*. Augsburg, 1857.

(5) Act. XX, 28.

suam potestatem sacerdotii in sacrificio et sacramentis, magisterii in doctrina, imperii in regimine per suos ministros velut per instrumenta, quorum potestas est participatio ab ipso dimanans » (1); quam Ecclesiam Apostolus, membra simul cum invisibili suo capite Christo significans, ipso Christi nomine designat : « Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, *ita et Christus* » (2). Unde recte conc. Troslejanum : « Quia Christus et ejus Ecclesia una est persona, et quæcumque Ecclesiæ sunt, Christi sunt » (3).

Alii vero rerum Ecclesiæ dominium penes *S. Pontificem* esse docuerunt (4), ad quem pertinet de bonis Ecclesiæ summa potestate disponere. Verum Doctoris Angelici verbis utendo reponimus : « Quamvis res Ecclesiæ sint ejus (Pontificis) ut principalis dispensatoris,

(1) Franzelin, *Theses de Ecclesia Christi.* Op. posth. Romæ, 1887, p. 315.

(2) I Cor. XII, 12. In quæ Pauli verba Chrysostomus : « Cum oportuisset dicere, Ita et Ecclesia; hoc enim consequens erat : hoc quidem non dixit, sed illius loco Christum ponit... Hoc autem vult significare : Ita et Christi corpus, quod est Ecclesia. Sicut enim et corpus et caput unus sunt homo, ita et Ecclesiam et Christum unum esse dixit. Ideo Christum pro Ecclesia posuit, corpus ejus sic vocans. » *In Epist. I ad Cor.* homil. XXX, n. 1. Ed. Migne, *P. G.*, LXI, col. 250.

(3) Cap. IV. Hard. VI, p. I, col. 514. Cf. Carrière, *De justitia et jure*, I, p. 89; Suarezius, *loc. cit.*, n. 9; Molina, *loc. cit.*, tract. II, disput. CXLII, nn. 3-12; Lugo, *loc. cit.*, disput. IV, s. II, n. 16; Mamachi, *Del diritto libero della chiesa di acquistare e di possedere beni temporali.* 1769, l. II, part. II, c. V, n. 3, p. 496, nota; Lehmkuhl, *loc. cit.*. *Stimmen aus Maria Laach*, IX, pp. 56-75; Hirschel, *Das Eigenthum am katholischen Kirchengute*, III. Vering, *Archiv. für katholisches Kirchenrecht.* Mainz, 1875, pp. 259, sqq.

(4) Ita præsertim Fagnanus, *in lib. III Decretal.*, cap. *Relatum*, 7, *Ne clerici vel monachi*, 50, nn. 25-36. Quæstio tamen in hisce de nomine forsan magis fit quam de re.

non tamen sunt ejus ut domini et possessoris » (1). Et revera, eo ipso quod bonorum dominium ad Ecclesiam pertinet, Romani Pontificis est, qui, vi primatus sui, in universam Ecclesiam totam plenitudinem supremæ potestatis jurisdictionis habet (2), res illas in Ecclesiæ bonum suprema potestate dispensare.

Alii quoque dixerunt bona Ecclesiæ bona esse *pauperum* (3) : quod iterum vero quodam sensu accipi potest, quatenus Ecclesia omni tempore mater fuerit et altrix pauperum, suosque ministros semper pauperum provisores esse voluerit (4).

Utrum tandem res Ecclesiæ temporales ad ipsam Ecclesiam universalem proxime pertineant, utrum vero certorum bonorum dominium apud varias communitates Ecclesiæ subordinatas reponendum sit (5) : ea de quæs-

(1) 2a, 2æ, q. C, art. I, ad 7um.

(2) Const. conc. VATICANI *Pastor æternus*, cap. III. *Coll. Lac.*, VII, col. 485.

(3) THOMASSINUS, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, pars III, lib. III, capp. 26-33; in hujus sententiæ probationem testimonia congerit ipse plurima, quibus omnes opes Ecclesiæ res atque patrimonia pauperum declarantur. Cujusmodi locutiones quædam infra citatæ reperientur.

(4) Qua ratione variæ illæ sententiæ inter se componi possint, jam hisce innuit INNOCENTIUS IV : « De hac autem materia potest notari, quod non prælatus sed Christus dominium et possessionem rerum ecclesiæ habet. Unde quæcumque homines offerunt ecclesiis dicuntur esse oblata Deo... vel ecclesiæ habet possessionem et proprietatem... i. e. *aggregatio fidelium* quæ est corpus Christi *capitis*, et si aliquando inveniantur hæc bona Deo oblata esse episcoporum vel prælatorum vel capitulorum, dic, esse eorum quoad gubernationem. Dicuntur etiam esse pauperum quoad sustentationem... et propter hoc dicimus, quod quantumcumque moriatur prælatus et omnes clerici ecclesiæ, tamen proprietas et possessio remanet penes Christum qui vivit in æternum vel penes universalem vel singularem ecclesiam, quæ numquam moritur nec est unquam nulla. » *Apparatus in libros V Decretalium*, cap. *Cum super*, 4, *de causa poss. et prop.*, II, 12.

(5) Cff. SCHMALZGRUEBER, *in lib. III Decret.*, t. II, opp. IV, tit. 25, § 1, nn. 3-5; MOLINA, *loc. cit.*, n. 6; inter recentiores; SCHULTE, *De rerum ec-*

tione hoc imprimis monemus, eam hujus sententiæ interpretationem plane rejiciendam esse, qua variæ illæ societates veluti totidem independentia juris subjecta Ecclesiæ opponerentur. Quare, si dicatur dominium penes societates subordinatas esse, ipsis non competit nisi cum plena subordinatione respectu Ecclesiæ, quatenus nempe ipsæ totæ quantæ sunt ab Ecclesia pendent; itaque aliquo sensu verum remanet ipsam Ecclesiam *per* varias subordinatas societates possidere.

Ex hac autem controversia quam immerito concludatur bonorum ecclesiasticorum dominium, utpote de cujus subjecto apud ipsos catholicos auctores litigetur, penes Ecclesiam non esse, ex eo jam apparet quod omnes iidem auctores in hoc principium agnoscendum conveniant, illudque supponant. Cæterum, eadem quæstio circa dominium Status agitatur, nec videtur quod hujuscemodi conclusio exinde unquam deducta fuerit.

clesiasticarum domino. Berolini, 1851; Braun, *Das kirchliche Vermögen von der ältesten Zeit bis auf Justinian I.* Giessen, 1860, pp. 20-52; v. Poschinger. *Das Eigenthum am Kirchenvermögen.* Munchen, 1871; Helle, *Das kirchliche Vermögen von der ältesten Zeit bis auf Constantin den Grossen.* Paderborn, 1876, pp. 50 58; Winterstein, *Der Begriff der Kirche im kirchlichen Vermögensrecht.* Leipzig, 1888; Lehmkhul, *loc. cit*, *St. aus M. L.*, IX, pp. 56-75. Qui auctores, apud quos et alii plures citati reperientur, ecclesiis particularibus, licet mente satis diversa, bonorum temporalium dominium tribuunt. Cf. etiam Meurer, *loc. cit.*, I B., pp. 257-346. Sententiam qua Ecclesiæ universali dominium proxime addicitur propugnant Hirschel, *loc. cit.*, pp. 276, sqq.; Weilbacher, *Wer ist Eigenthümer des Kirchenvermögens nach gemeinen Recht?* Limburg, 1888.

CAPUT II.

ARGUMENTUM EX JURE DIVINO.

Ecclesiæ competit jus acquirendi et possidendi bona temporalia quia positiva Christi ordinatione jus illud Ecclesiæ collatum est.

Prædictum jus Ecclesiæ competere in præcedenti capite hoc argumento demonstravimus : legitima quæcumque hominum societas, sicuti a natura jus existendi habet, ita et ab ea jus habet res sibi providendi ad sui conservationem necessarias; Christus autem Ecclesiam suam tamquam veram societatem externam et visibilem instituit, quæ ipsa finis sui ratione perfecta est et a quacumque humana societate independens; Ecclesia ergo ipso naturæ jure (hypothetico scilicet) jus independens habet ad res sibi necessarias, jus nimirum acquirendi et possidendi bona temporalia.

Porro illud ipsum jus penes Ecclesiam esse via magis directa jam nunc conficere proponimus, ostendendo nempe notas seu proprietates illas vi quarum Ecclesia ad res sibi necessarias jus independens habet, Ecclesiæ positiva divini sui Fundatoris voluntate inesse, aliis verbis, Christum positive instituisse Ecclesiam suam tamquam societatem perfectam et a quavis humana potestate independentem, ideoque Ecclesiam Christi temporalia bona divino jure possidere. Hanc autem esse positivam Christi ordinationem validissimo argumento confirmabimus, probando Ecclesiam facultatem illam

tamquam prærogativam Christi institutione sibi collatam sæculorum decursu constanter maximaque auctoritate vindicasse. Itaque præsens hoc dissertationis nostræ caput alterum duplici articulo partimur, quorum priore Christi institutionem exponemus, posteriore Ecclesiæ traditionem delineabimus.

ARTICULUS I.

CHRISTUS JUS ACQUIRENDI ET POSSIDENDI BONA TEMPORALIA ECCLESIÆ CONTULIT, ECCLESIAM SUAM INSTITUENDO UT SOCIETATEM INDEPENDENTEM ET PERFECTAM.

1) Christus enim Ecclesiam suam instituit tamquam societatem prorsus independentem; hæc igitur in adhibendis mediis ipsi a Christo collatis a quacumque humana potestate plane independens est. 2) Christus Ecclesiam suam condidit ut societatem perfectam; hæc ergo, positiva Christi voluntate omnia media habet ad finem suum necessaria, ideoque et jus proprium et independens acquirendi et possidendi bona temporalia.

I. *Christus Ecclesiam suam condidit ut societatem prorsus independentem.*

Juxta superius tradita, Deus « humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus præpositam » (1). Quæcumque vero legitima hominum societas ineatur, quum finis ejus æterna vel temporali felicitate necessario contineatur,

(1) Encycl. Leonis XIII, *Immortale Dei*, 1 nov. 1885.

finem habet illa societas aut Ecclesiæ aut civilis societatis fini subordinatum, proindeque uni vel alteri supremæ societati subest (1). Quo posito, si probetur Christum Ecclesiam suam civili potestati nullatenus subdidisse, jure concludetur ipsum Ecclesiam instituisse a quacumque humana societate independentem.

Societas una ab altera, sicuti jam innuimus, directe vel indirecte dependens esse potest. *Directe* dependens illa societas dicitur quæ finem habet in alterius fine contentum, adeo ut in prosecutione finis proprii alterius societatis potestate dirigenda sit, cui, cum incumbat cura totius, competat et jus singulas regendi partes. Hæc igitur directa dependentia non obtinet nisi inter duas societates quarum fines in eodem ordine continentur. *Indirecte* autem dependens ea societas est quæ, licet in ordine suo libera sit et independens, finem tamen prosequitur alterius societatis fini subordinatum, adeo ut in prosecutione finis sui rationem habere debeat finis societatis superioris, finem hunc scilicet tum non impediendo, tum et pro circumstantiis, quantum fieri possit et necessitas exigat, promovendo (2).

Jamvero Christus ita Ecclesiam suam instituit ut ea neque directe, neque etiam indirecte a Statu pendeat.

1) *Ea est ordinatio Christi ut Ecclesia non pendeat a Statu* DIRECTE.

Illud ex ipsa finis Ecclesiæ natura jam invicte collegimus. Hanc autem directam dependentiam utique excludunt explicita Christi verba. Dicit enim Christus Petro :

(1) Cf. TARQUINI, *loc. cit.*, p. 49.

(2) Cf. cl. VAN DEN BERGHE, *loc. cit.*, pp. 13, sqq.

« Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam... Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis » (1). Quæ verba potestatem exhibent a quacumque humana potestate independentem. Enimvero, quod a Christo promittitur, ratihabitio est actus Ecclesiæ quatenus est actus auctoritatis : quando ligat aut solvit Ecclesia, Deus ipse *ligat* vel *solvit*. Atqui si Ecclesia ab alia aliqua humana potestate penderet, *a)* falsa esset hæc universalis Christi affirmatio, siquidem, quum posset hæc alia potestas auctoritative statuere de actibus Ecclesiæ, eosque *jure* irritare, Deus, qui hanc irritationem *jure* factam approbaret, quodcumque ligaverit Ecclesia non ligaret, non solveret quodcumque Ecclesia solverit. *b)* Vel, si supponatur verbis Christi vim nihilominus inesse, ad id deveniretur absurdi, ut humanæ cuidam potestati tribueretur illud solvere quod ab ipso Deo in cœlis ligatum est, illud ligare quod ab ipso Deo solvitur (2).

Quæ eadem Christi voluntas ex eo quoque luculenter manifestatur, quod ipse Ecclesiam instituerit quæ homines per orbem universum dispersos unitate sua conjungeret. Ad Apostolos ait Dominus : « Prædicate Evangelium *omni creaturæ* » (3), et ad Petrum : « Tibi dabo claves regni cœlorum (4)... Pasce oves meas » (5), oves nempe de quibus et Christus alio loco : « Fiet unum

(1) Matth., XVI, 18, 19.

(2) Cf. Palmieri, *loc. cit.*, p. 119; Mazzella, *loc. cit.*, p. 442.

(3) Marc., XVI, 15.

(4) Matth., XVI, 19.

(5) Joan. XXI, 17.

ovile, et unus pastor » (1). Si enim a civili potestate Ecclesia directe dependens esset, quum civiles societates multiplices sint, suprema potestas pro Ecclesia in singulis regnis penes varios principes sæculares esset, adeoque tot essent in Ecclesia potestates supremæ quot sunt in mundo principes et regna : quo facto, actum jam de Ecclesiæ unitate.

Et revera, quando Christus Ecclesiæ regimen certis quibusdam hominibus concredidit, ne minimam quidem de principibus mentionem fecit. « Legamus Evangelium, ait Becanus, mox inveniemus Petro dictum esse : Pasce oves meas; et : Tu es Petrus et super hanc petram... etc.; et : Tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. At nusquam legimus Tiberio, Pilato vel Herodi dictum esse : Pascite oves meas; Ecclesiæ meæ primatum tenete » (2). Quonam ergo titulo sæcularis princeps in Ecclesiam gubernatoris partes sibi vindicabit? An quia christianus est? Sed, quia christianus, subditur regimini a Christo in Ecclesia constituto. An quia princeps civilis est? Verum, præterquam jam ostendimus finem adeoque et principatum societatis civilis ab Ecclesiæ fine ejusque potestate toto ordine

(1) Joan., X, 16.

(2) *Duellum de primatu Regis Angliæ*, c. III. Opp. Moguntiæ, 1631, I, p. 381. Cf. Van den Berghe, *loc. cit.*, I, pp. 52, sqq.; Zallinger, *Institut. juris naturalis*. Gandæ, 1823, § CCCLVI, pp. 502, sqq. In hoc argumentum eleganter S. Joannes Damascenus : « Attende quid dicat Apostolus : Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo prophetas, tertio pastores et doctores ad perfectionem Ecclesiæ. Non adjecit, *imperatores*... Tibi parebimus, ô imperator, in his quæ ad hujus sæculi negotia pertinent..., verum ad res Ecclesiæ statuendas pastores habemus, qui nobis verbum loquuntur, atque ecclesiastica instituta tradiderunt. » *De imaginibus*, Oratio II, n. 12. Ed. Migne, *P. G.*, XCIV, coll. 1295-1298.

differre, admitti certe nequit Christum Ecclesiam suam principi qua tali, ac proinde etiam pagano vel hæretico, regendam commisisse.

2) *Ea est ordinatio Christi ut Ecclesia neque* INDIRECTE *a Statu pendeat.*

Hæc enim indirecta Ecclesiæ dependentia in subordinatione finis ejus respectu finis societatis civilis reponenda esset, Christus vero Ecclesiæ suæ finem præstituit fine civilis societatis longe superiorem, imo finem plane excellentissimum et omnium hominum supremum. Ipse namque, sicut a Patre missus est « ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat *vitam æternam* » (1), hanc eamdem Apostolis suis missionem continuandam commisit, et ad hoc quidem opus Apostolos propriæ suæ auctoritatis participes effecit : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (2). Hæc Christi Ecclesia est quæ in Evangelio vocatur « regnum Dei » (3), « regnum cœlorum » (4), et de qua ipse testatur Christus : « Regnum meum non est de hoc mundo » (5). Quod Christi regnum nullius mundani imperii fini subordinatur.

(1) JOAN., VI, 40.

(2) JOAN., XX, 21. Cf. FRANZELIN, *loc. cit.*, pp. 112, sq.

(3) MARC., I, 14.

(4) MATTH., III, 2; XVI, 19.

(5) JOAN., XVIII, 36. Quum autem hic textus ex iis sit qui libentissime ab Ecclesiæ adversariis adducantur, quasi ex relatis Christi verbis concludendum esset Ecclesiam ea quæ hujus mundi sunt, seu temporalia bona, possidere prohiberi, hic advertere liceat Ecclesiam certissime quidem *de hoc mundo* non esse tum si spectetur ejus origo, quum a Christo immediate instituta fuerit, tum si finis respiciatur, qui naturæ ordinem prætergreditur, tum si attendantur elementa mediaque supernaturalia quæ Ecclesia includit quibusque finem prosequitur, propterea que Ecclesiam a civili societate distinctam et independentem esse; nullatenus vero hisce significari

Christus igitur Ecclesiam suam a quacumque humana societate prorsus independentem constituit; eaque Domini ordinatione descripta, « Itaque, ait SS. Leo XIII, dux hominibus esse ad cœlestia, non civitas sed Ecclesia debet : eidemque hoc est munus assignatum a Deo, ut de iis quæ religionem attingunt, *videat ipsa et statuat* : ut doceat omnes gentes : ut christiani nominis fines, quoad potest, late proferat; brevi, ut rem christianam *libere expediteque judicio suo administret*. Hanc vero auctoritatem *in se ipsa absolutam planeque sui juris*, quæ ab assentatrice principum philosophia jamdiu oppugnatur, Ecclesia sibi asserere itemque publice exercere numquam desiit, primis omnium pro ea propugnantibus Apostolis, qui cum disseminare Evangelium a principibus Synagogæ prohiberentur, constanter respondebant : *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus* (*Act. V*, 29). Eamdem sancti Ecclesiæ Patres rationum momentis tueri pro opportunitate studuerunt : romanique Pontifices invicta animi constantia adversus oppugnatores vindicare numquam prætermiserunt. Quin etiam et opinione et re eamdem probarunt ipsi principes rerumque publicarum gubernatores, ut qui paciscendo, transigendis negotiis, mittendis vicissimque accipiendis legatis, atque aliorum mutatione officiorum, agere cum Ecclesia tanquam cum suprema potestate legitima consueverunt... *Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet*, sive tale illud sit natura sua,

Ecclesiam *extra mundum* constitui aut ipsi *media mere spiritualia* præsto esse : supra ostendimus Ecclesiam, licet ad finem spiritualem contendat, bonis tamen etiam temporalibus indigere. Cf. pp. 63, sqq. Cf. Hurter, *loc. cit.*, p. 216, in nota.

sive rursus tale intelligatur propter caussam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiæ » (1).

II. *Christus Ecclesiam suam condidit ut societatem perfectam.*

Eam societatem perfectam esse monuimus quæ, finem habens in ordine suo completum, mediis omnibus instructa est quæ ad hunc prosequendum finem necessaria sunt (2). Sufficienter jam demonstravimus Filium Dei *finem* Ecclesiæ suæ præstituisse qui respectu finis nullius humanæ societatis rationem habet partis vel medii ; de *mediis* igitur inquirendum manet quibus voluit Christus Ecclesiam ad hunc finem tendere, ut ad hanc tandem solvendam quæstionem perveniamus, utrumne Conditor Ecclesiæ jus ei reapse contulerit acquirendi et possidendi bona temporalia.

1. Christus non potuit Ecclesiam tamquam societatem independentem instituere quin et eam instruxerit mediis ad finem necessariis seu constituerit eo ipso perfectam. Sane repugnat societatem quamdam a quacumque alia humana societate independentem esse, media autem ad finem necessaria ab arbitrio alterius societatis exspectare debere. Jamvero jus acquirendi temporalia bona inter media Ecclesiæ necessaria reponendum esse superius confecimus.

2. Et revera, Christus Dominus, ut per eam quam condidit societatem homines ad sanctitatem et salutem perducantur, duplicem instituit potestatem, alteram

(1) Encycl. *Immortale Dei*, 1 nov. 1885.
(2) Cf. supra, p. 17.

ordinis, *jurisdictionis* alteram, utramque ad procurandum Ecclesiæ finem ex semetipsa efficacissimam (1). Siquidem, ad sanctificanda Ecclesiæ membra, *a*) necesse est ut gratia ipsis distribuatur, hæc autem ex Christi voluntate per sacramenta potissimum hominibus infunditur. Quem in finem Homo-Deus Ecclesiæ *ministros proprios* dedit, qui, « dispensatores mysteriorum Dei » (2), illa divinæ bonitatis et sapientiæ opera, sacramenta Novæ Legis, conficiant et applicent. *b*) Necesse præterea est *α*) ut homines in vera fide erudiantur : Christus Apostolis et eorum usque ad consummationem sæculi successoribus munus credidit doctrinam suam gentibus omnibus prædicandi (3), ipseque visibile, authenticum et perpetuum *magisterium* in Ecclesia constituit, cui et donum infallibilitatis contulit (4). *β*) Necesse quoque ut fideles in bonis sectandis operibus dirigantur atque in virtutis exercitio adjuventur et excitentur, ut societatis incolumitati auctoritativa mediorum determinatione (potestate legifera), legum applicatione (potestate judiciaria). hujus utriusque potestatis procuranda sanctione (potestate coercitiva) prospiciatur : Dominus Ecclesiæ ministris commisit non tantum potestatem *fori interni*, quæ præcipue et directe refertur ad singularem uniuscujusque fidelis utilitatem spiritualem, sed et veram jurisdictionem *fori externi*, quæ directe utilitatem publicam et socialem respicit, triplicem scilicet potestatem *legiferam*, *judiciariam* et *coercitivam*, dicente ipso Apostolis :

(1) Cf. Müller, *De placito regio*. Lovanii, 1877, p. 137.
(2) I Cor. IV, 1.
(3) Matth., XXVIII, 19, 20; Marc., XVI, 15.
(4) Cf. Mazzella, *loc. cit.*, pp. 606, sqq.

« Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis » (1). Quæ Christi verba potestatem exprimunt *cujuslibet* moralis vinculi tum inducendi, tum solvendi, triplicem nimirum potestatem perfectæ hominum societati necessariam leges ferendi vel abrogandi, sententias judiciales proferendi, pœnas irrogandi et remittendi, et ita quidem ut cum Ecclesiæ pastoribus Deus ipse liget vel solvat (2) : hæc est proprie potestas ecclesiastici *imperii* seu *regiminis*.

Ea igitur munera sunt quæ Christus in Ecclesia sua instituit, ea potestas est quam, regnum suum in terris condendo, suo nomine exerceri voluit : hunc autem potestatis complexum ita Ecclesiæ contulit, ut ipsi jus sit eam ad plenum exercitium perducere; et quidem, quum Ecclesiam ab omni alia societate plane independentem esse voluerit, ita ut Ecclesia potestatem illam omnem *per se* nata sit exercere.

Christus Ecclesiæ dedit sacerdotium cum sacrificio et sacramentis. Jamvero sacerdotii existentia, debita divini cultus celebratio media utique temporalia supponunt; adeoque ubi societas quædam hominum independens conditur, cui munus positive tribuitur ut ea per proprios ministros divinum offerat sacrificium, sacramenta conferat, cultum Dei exerceat, eadem ipso facto capax instituitur quæ et res temporales ad hunc finem necessarias proprio ac libero jure acquirat atque possideat.

Christus Ecclesiam posuit quæ salutis doctrinam universo orbi prædicaret : jus eo ipso illi contulit ut neces-

(1) MATTH., XVIII, 19.
(2) Cf. PALMIERI, *loc. cit.*, p. 129; VAN DEN BERGHE, *loc. cit.*, II, pp. 58, sqq.

saria temporalia media quæ ad hanc adimplendam missionem fidelium pietate ei suppeditarentur, ipsa acquirere et possidere possit.

Christus Dominus Ecclesiam suam propriis ministris regendam et gubernandam commisit, *sacrum* instituendo principatum, quo Ecclesia *semetipsam* regit et administrat (1) : jus igitur Ecclesiæ competere voluit ut ipsa necessaria omnia possideat ad publicam procurandam ecclesiasticæ societatis gubernationem et incolumitatem.

Divinus ergo Conditor Ecclesiæ eam ut societatem perfectam instituit, omnibus mediis instructam ad finem suum attingendum necessariis, eo quoque necessario medio præditam, ut jus ipsi competat acquirendi et possidendi bona temporalia, quibus ea muneribus ipsi Christi voluntate propriis *ex sese* providere possit.

Quamquam hisce quænam fuerit Christi institutio manifestum est, sunt etiamnum qui Wicleffitarum aliorumque cavillationes non dedignantes, ipsum Dominum contendunt ne Ecclesia temporalia bona possideret prohibuisse. Præcipua quæ objiciuntur Scripturæ loca breviter expendemus.

Qui contra stabilitam doctrinam e Veteri Testamento allegantur textus hi potissimum sunt. Legitur de Levitis a Deo statutum in libro *Numerorum* : « Dixitque Dominus ad Aaron : In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos : ego pars et hereditas tua in medio filiorum Israel. Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio quo

(1) Cf. De Brouwer, *Tract. de Ecclesia Christi*. Brugis, 1881, pp. 177, sqq.; pp. 49, sqq.

serviunt mihi in tabernaculo fœderis... Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi » (1). In libro quoque *Deuteronomii* : « Non habebunt sacerdotes et Levitæ, et omnes qui de eadem tribu sunt, partem et hereditatem cum reliquo Israel, quia sacrificia Domini, et oblationes ejus comedent, et nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum : Dominus enim ipse est hereditas eorum, sicut locutus est illis » (2). Denique apud *Ezechielem* : « Non erit autem eis hereditas, ego hereditas eorum : et possessionem non dabitis eis in Israel, ego enim possessio eorum » (3).

E Novo autem Testamento sequentia loca afferri solent. Verba sunt Christi ad Apostolos : « Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris : non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam : dignus est enim operarius cibo suo » (4). Et alibi : « Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus » (5).

Ex quibus concludunt juri divino aperte repugnare bona temporalia ab Ecclesia vel clericis possideri.

Sed 1) prædictæ conclusioni hanc primo responsionem opponemus, indirectam quidem, at validissimam, imo quæ viro catholico jam sufficiens esse debet. Ad Ecclesiam pertinet, cui Christus ipse revelationis depositum servandum concredidit, authentica juris divini

(1) XVIII, 20-24.
(2) XVIII, 1, 2.
(3) XLIV, 28.
(4) Matth., X, 9, 10. Cf. Marc. VI, 8, 9; Luc. IX, 3.
(5) Luc. XIV, 33.

sacrarumque Scripturarum interpretatio; Ecclesia vero tum constanti plus quam decem et octo sæculorum praxi, tum documentis innumeris et explicitis, jus illud tamquam a divino suo Fundatore collatum sibi disertissime vindicavit. Is igitur citatorum locorum sensus esse nequit, ut Ecclesia a temporalibus rebus possidendis prohibeatur (1).

2) Et revera, A) quod loca spectat e Veteri Testamento allata, *a)* prohibitio illa Levitis facta, ne « partem et hæreditatem cum reliquo Israel » haberent, in œconomia Mosaica ad præcepta cæremonialia vel judicialia pertinebat, quæ præcepta legi Mosaicæ propria erant, atque per institutionem Ecclesiæ vigere desierunt. *b)* Cæterum, allegatis verbis prohibitionem Levitis factam esse ne bona quædam temporalia propria haberent immerito contenditur. Quod ex multis ejusdem Veteris Testamenti locis apparet. In *Levitico* legitur : « Ædes Levitarum, quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi : si redempta non fuerint, in jubilæo revertentur ad dominos, quia domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel. Suburbana autem eorum non veneant, quia possessio sempiterna est » (2). In libro *Numerorum* : « Præcipe filiis Israel ut dent Levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum, et suburbana earum per circuitum : ut ipsi in oppidis maneant, et suburbana sint pecoribus ac jumentis (3) ». In libro II *Paralipomenon* : « Sacerdotes autem et Levitæ... relinquentes suburbana et possessiones suas... (4) ». Item, in libro *Josue* : « Acces-

(1) Cf. cl. Van den Berghe, *loc. cit.* I, p. 300.
(2) XXV, 32-34.
(3) XXXV, 2, 3.
(4) XI, 13, 14.

seruntque principes familiarum Levi... locutique sunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque dixerunt: Dominus præcepit per manum Moysi, ut darentur nobis urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda jumenta. Dederuntque filii Israel de possessionibus suis juxta imperium Domini, civitates et suburbana earum (1) ». *c)* Quid ergo de locis supra relatis dicendum? Eo unice recidunt ut significent, in divisione terræ Chanaan, Levitas determinatam territorii partem eo modo non accepisse quo partem suam acceperunt aliæ tribus Israel; Levitæ enim, quibus ea quæ ad cultum pertinebant commissa erant, « ideo non acceperunt partem cum aliis tribubus, quod erant per omnes tribus dispergendi; quod fieri non potuisset, si unam determinatam partem terræ accepissent, sicut aliæ tribus » (2).

B) Quoad loca e Novo Testamento excerpta, iterum reponimus eorum sensum ab eo plane diversum esse qui in objectionibus proponitur : quod ipso Christi et Apostolorum exemplo manifeste demonstratur (3). Quædam audiantur ex iis quæ hujusmodi allegantibus respondebat S. Joannes Chrysostomus : « Age igitur, et illa expendamus. Dixit Christus, *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque duas tunicas, neque calceamenta, non zonam, non virgam (Matth.*, X, 9). Quid igitur? dic mihi : num Petrus contra præceptum faciebat? Quo-

(1) XXI, 1-3. Cf. III Regum, II, 26; Jerem., XXXII, 8, sqq. — Cf. Bellarminus *loc. cit.*, lib. I, *De clericis*, cap. XXVI; Feye, *loc. cit.*, I, p. 141; Mamachi, *loc. cit.*, I, pp. 161, sqq.

(2) S. Thomas, *In IV lib. sentent.*, dist. XXIV, q. III, art. I, quæstiunc. 3, solutio 3, ad 2um. Ed. cit., VII, pars II, p. 900. Cf. Mamachi, *loc. cit.*; Bellarminus, *loc. cit.*

(3) Cf. Joan., IV, 8; XII, 6; XIII, 29; Act., IV, 34-37; V, 1, sq.; VI, 1-5; I Cor., IX, 4-6; I Thess., II, 9.

modo enim non, cum et zonam haberet et vestimentum et calceamenta? Audi enim angeli ad ipsum verba, *Præcingere, et calcea te caligas tuas (Act.*, XII, 8)... Quid vero Paulus? cum ad Timotheum scribens dixisset, *Festina ante hiemem venire (II Tim.*, IV, 21), deinde mandata dat, atque inquit, *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, maxime autem membranas (Ib.*, 13). En penulam memoravit... Quid vero, quod integrum biennium in mercenario labore continuit? Ergo repugnavit Christo vas illud electionis, ille qui dicebat, *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus (Gal.*, II, 20)? ille de quo testificatus est Christus, ita dicens, *Quoniam vas electionis est mihi iste (Act.*, IX, 15)?... Quid igitur dicendum est? Non repugnant, absit, sed valde consentiunt cum præceptis Christi : præcepta enim illa ad tempus erant et non perpetua » (1).

Ad illud igitur Matthæi, X, 9 : Christus his verbis specialia præcepta Apostolis dedit pro peculiari hac legatione quam inter Judæos, ante Christi passionem, confecturi erant, ad quam præstandam ut expeditiores essent ipse vetuit ne ea etiam sibi compararent quæ generatim peregrinantibus necessaria censentur : tunc enim, civitates Israel peragraturi, Ecclesiarum curam nondum habebant (2). Quo in itinere divinæ providentiæ confidere didicerunt, quum Deus necessaria ipsis providerit, testante postea Salvatore : « Quando misi vos sine sacculo, et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt : Nihil » (3).

(1) *In Epist. ad Philipp.*, homil. IX, nn. 5, 6. Ed. Migne, *P. G.*, LXII, coll. 253, 254.

(2) Cf. A. Liagre, *loc. cit.*, I, p. 178; Bellarminus, *loc. cit.*

(3) Luc., XXII, 35, 36.

Alterum autem locum, ex Luca (XIV, 33) desumptum, si quis contra thesim nostram adduxerit, nimis, adeoque nihil probare ex eo jam constat, quod mandatum illud christianos omnes complecteretur. Hac autem prolata sententia docet Christus eos, qui discipuli ipsius fieri cupiunt, ita comparatos esse debere, ut animo et affectu suis omnibus renuntiaverint, imo et parati sint iis reipsa renuntiare, ipsamque mortem subire, ubi causa Christi id poposcerit (1).

ARTICULUS II.

ECCLESIA JUS ACQUIRENDI ET POSSIDENDI BONA TEMPORALIA SIBI, TAMQUAM A CHRISTO COLLATUM, PERPETUO VINDICAVIT.

Ut idipsum quod a Christo institutum esse modo demonstravimus, Ecclesiam constanter tenuisse ac perpetuo affirmasse ostendamus, ad praxim imprimis provocandum est ab ipsa eo quoque tempore observatam quo, nedum tale jus ipsi a civili potestate concessum esse dici potuerit, ipsa econtra a terrenis principibus crudeliter proscribebatur. Pace vero Ecclesiæ concessa, quomodo jam mirum in modum principum aliorumque fidelium pietate temporales ejus facultates excreverint, documenta plurima apertissime referunt. Porro, de natura juris Ecclesiæ in hæc bona competentis, quænam fuerit mens SS. Patrum, quænam Ecclesiæ doctrina in Conciliorum atque Pontificum decretis proposita, spe-

(1) Liagre, *loc. cit.*, II. Tornaci, 1889, p. 266. Cf. S. Augustinus, epist. CLVII, n. 34. Ed. Migne, *P. L.*, XXXIII, col. 690. Alia etiam N. T. loca immerito plane adversus thesim nostram allegari vid. ap. Mamachi, *loc. cit.*, I, pp. 23-144.

ciatim inquiremus. Quædam tandem afferemus ex Concordatis desumpta Sedem Apostolicam inter variaque civilia regna initis; quibus actibus, simul atque declaratio proprii juris ab Ecclesia facta, solennis etiam continetur ex parte sæcularium principum agnitio juris Ecclesiæ.

§ 1. *Ab ipso sui exordio, Ecclesia Christi jus suum proprium et a cujusvis humanæ potestatis concessione independens acquirendi et possidendi bona temporalia actibus suis asseruit.*

I. *Origo atque fons bonorum ecclesiasticorum.*

Quonam referenda sunt ecclesiastici patrimonii primordia? Utrumne ad illud ævum quo, sedata persecutionum tempestate, sæculares principes pacem cum Ecclesia inierunt? Minime gentium. Ipse enim Ecclesiæ Conditor, Christus Jesus, quum, Apostolorum sodalitio circumdatus, regnum Dei hominibus annuntiaret, in possessione et usu rerum temporalium Ecclesiæ suæ exemplo præivit, ea uni ex Apostolis servanda commendans in propriam atque Apostolorum sustentationem et in pauperum subventionem, quæ ipsi a fidelibus suppeditabantur. Evangelista de Juda narrat, quod ipse « loculos habens, ea quæ mittebantur portabat » (1); idemque Auctor Sacer hanc refert Apostolorum conjectationem : « Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus : Eme ea quæ opus sunt *nobis ad diem festum :* aut *egenis* ut aliquid daret » (2). In hæc

(1) Joan., XII, 6.

(2) Joan., XIII, 29. Cf. Thomassinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, P. III, l. I, cap. I.

pulchre monet Augustinus : « Habebat ergo et Dominus loculos; et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, et aliis indigentibus tribuebat. *Tunc primum ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta*, ubi intelligeremus, quod præcepit non cogitandum esse de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ servetur a sanctis; sed ne Deo pro ista serviatur, et propter inopiæ timorem justitia deseratur » (1).

Sicuti autem Christi et Apostolorum necessitatibus fidelium oblationibus provisum est, ita et charitas fidelium fons fuit e quo, a primis Ecclesiæ temporibus, ipsius bona promanarunt. Etenim, post ascensum Christi, ea Hierosolymis inter nascentis Ecclesiæ membra charitas effloruit, ut ipsa libere facultates suas omnes in commune reposuerint : « Habebant omnia communia. Possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Neque enim quisquam egens erat inter illos » (2). Quarum facultatum dispensatio Apostolis concredebatur : « Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, *et ponebant ante pedes Apostolorum* » (3). Hanc autem administrationem haud multo post Apostoli in Diaconos transtulerunt : « In diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur *in ministerio quotidiano* viduæ eorum. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt : Non est æquum nos derelinquere ver-

(1) *In Evang. Joan.*, Tract. LXII, n. 5. Ed. Migne, *P. L.*, XXXV, col. 1803.

(2) Act., II, 44, sq.; IV, 34.

(3) *Ibid.*, IV, 34, sq.

bum Dei, *et ministrare mensis*. Considerate ergo fratres, viros... *quos constituamus super hoc opus*... Et elegerunt Stephanum... » (1).

Charitatem qua fideles Ecclesiæ Romanæ sibi mutuo devinciebantur his verbis describit S. Martyr Justinus : « Qui pecuniarum et possessionum vias omnibus antiquiores habebamus, nunc etiam ea quæ possidemus in commune conferimus, et cum indigentibus quibusque communicamus » (2). Cui consonat et Tertullianus : « Ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos fere dirimit fraternitatem. Itaque qui animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus » (3).

Neque mira illa charitas ad ejusdem tantum Ecclesiæ fideles extendebatur, sed e diversis regionibus Christiani ad pauperiores Ecclesias largitiones suas mittebant. Illud factum legimus a fidelibus Antiochenis : « In his autem diebus supervenerunt ab Jerosolymis prophetæ Antiochiam : et surgens unus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. Disciputi autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus : Quod et fecerunt, mittentes ad Seniores per manus Barnabæ et Sauli » (4). Plures collectas, ad subveniendum præsertim Ecclesiæ Hierosolymitanæ, Paulus Apostolus indixit. Sic ad Corinthios scribens : « De collectis autem quæ fiunt in Sanctos, sicut ordinavi ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite. Per unam sabbati

(1) *Ibid.*, VI, 1-6.
(2) *Apologia I*, n. 14. Ed. Migne, *P. G.*, VII, col. 347.
(3) *Apologet.*, cap. 39. Ed. Migne, *P. L.*, I, col. 535.
(4) Act., XI, 27-30.

unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit : ut non, cum venero, tunc collectæ fiant » (1). Præclarum moris illius testimonium, quod ad Romanam pertinet Ecclesiam, in epistola Dionysii Corinthii (sæc. II) continetur, ad Soterem tunc temporis pontificem nuncupata, nobisque ab Eusebio servata : « Hæc enim, inquit, vobis consuetudo est jam inde ab ipso religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, et Ecclesiis quamplurimis, quæ in singulis urbibus constitutæ sunt, necessaria vitæ subsidia transmittatis; et hac ratione tum egentium inopiam sublevatis, tum fratribus qui in metallis opus faciunt, necessaria suppeditatis : per hæc quæ ab initio transmittere consuevistis munera, morem institutumque Romanorum a majoribus vestris acceptum Romani retinentes. Atque hunc morem beatus episcopus vester Soter non servavit solum, verum etiam adauxit : tum munera sanctis destinata copiose subministrans, tum fratres peregre advenientes, tamquam liberos suos pater amantissimus beatis sermonibus consolando » (2). Quod institutum ad suum usque tempus servatum esse Eusebius ibidem affirmat. Ecclesia vero Romana ipsis Syriæ et Arabiæ ecclesiis eleemosynas suas mittebat : « Syriarum quidem provinciæ omnes cum Arabia, *quibus identidem necessaria suppeditatis* » (3).

Quantum autem ex hujusmodi collectis fidelium largitate interdum colligebatur, exemplo novimus ecclesiæ

(1) I Cor., XVI, 1, sq.

(2) Eusebius Cæsar., *Histor. eccles.*, IV, 23. Ed. Migne, *P. G.*, XX, col. 387.

(3) *Epistola* Dionysii Alexandrini *ad Stephanum Papam*. Ap. Eusebium, *loc. cit.*, VII, 5. Ed. Migne, *P. G.*, XX, col. 643.

Carthaginensis, quæ, variis etiam afflicta calamitatibus, amplam pecuniæ summam Episcopis Numidiæ transmisit : « Misimus autem, scribit S. Cyprianus, sestertia centum millia nummorum (circiter nempe viginti quinque millia francorum), quæ istic in ecclesia, cui de Domini indulgentia præsumus, cleri et plebis apud nos consistentis collatione collecta sunt, quæ vos illic pro vestra diligentia dispensabitis » (1).

Hæc igitur fidelium pietas fons uberrimus est, e quo temporales illæ facultates, quæ Ecclesiæ necessariæ sunt, ab ipsius exordio manaverunt.

II. *Multiplices fidelium oblationes.*

1) Primo loco oblationes recensendæ sunt quæ occasione sacrorum conventuum fiebant. Testis audiatur e sæculo II S. Justinus : « Et qui habemus, indigentibus omnibus subvenimus, et semper una sumus. Atque in omnibus oblationibus laudamus creatorem omnium... Ac solis, ut dicitur, die omnium sive urbes sive agros incolentium in eumdem locum fit conventus... Qui abundant et volunt, suo arbitrio, quod quisque vult, largiuntur, et quod colligitur, apud eum, qui præest deponitur, ac ipse subvenit pupillis et viduis, et iis qui vel ob morbum, vel aliam ob causam egent, tum etiam iis qui in vinculis sunt, et advenientibus peregre hospitibus; uno verbo omnium indigentium curam suscipit » (2). Ita quoque refert Tertullianus : « Præsident probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed

(1) *Epist.* LXII. *Corpus Scriptor. eccl. lat.*, vol. III, Hartel. Vindobonæ, 1871, part. II, p. 700.

(2) *Apologia I*, n. 67. Ed. Migne, *P. G.*, VI, col. 430.

testimonio adepti : neque enim pretio ulla res Dei constat. Etiam si *quod arcæ genus est*, non de honoraria summa quasi redemptæ religionis congregatur; *modicam unusquisque stipem menstrua die*, vel cum velit et si modo velit, et si modo possit, apponit : nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensantur, sed egenis alendis humandisque, et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis, et si qui in metallis, et si qui in insulis vel in custodiis, dumtaxat ex causa Dei sectæ, alumni confessionis suæ fiunt » (1).

S. Cyprianus divites illos vehementer arguit qui, dum sacris intererant cœtibus, nihil tamen ad altare offerebant, aut in pauperes erogabant : « Locuples et dives dominicum celebrare te credis, *quæ corban omnino non respicis, quæ in dominicum sine sacrificio venis*, quæ partem *de sacrificio, quod pauper obtulit*, sumis. Intuere in Evangelio viduam præceptorum cælestium memorem, inter ipsas pressuras et angustias egestatis operantem, in gazophilacium duo quæ sola sibi fuerant minuta mittentem... Pudeat divites sterilitatis atque infidelitatis suæ : vidua et inops vidua, in opere larga invenitur. Cumque universa quæ dantur, pupillis et viduis conferantur, dat illa quam oportebat accipere, ut sciamus quæ pœna sterilem divitem maneat, quando hoc documento operari etiam pauperes debeant » (2). Quod argumentum et apud S. Irenæum usurpatum reperitur : « Illi quidem (Israelitæ) decimas suorum habe-

(1) *Apologet.*, c. 39. Ed. Migne, *P. L.*, I, coll. 532-534.
(2) *De opere et eleemosyna*, c. 16. Ed. Hartel, I, pp. 384, sq.

bant consecratas : qui autem perceperunt libertatem, omnia quæ sunt ipsorum ad Dominicos decernunt usus, hilariter et libere dantes ea, non quæ sunt minora, utpote majorum spem habentes; vidua illa et paupere hic totum victum suum mittente in gazophilacium Dei » (1).

Canones Apostolorum, quibus plura antiquæ disciplinæ capita nobis servata sunt, duplicem oblationis speciem commemorant, ipsique vetant ne aliud ad altare offeratur præter ea quæ sacrificio inserviebant : « Si quis episcopus aut presbyter, præter ordinationem Domini alia quædam in sacrificio offerat super altare, id est, aut mel, aut lac, aut pro vino siceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra constitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur » (2). — « Offerre non liceat aliquid ad altare præter novas spicas, et uvas, et oleum ad luminaria, et thymiama, id est, incensum, tempore quo sancta celebratur oblatio » (3). — « Reliqua poma omnia ad domum primitiæ episcopo et presbyteris dirigantur, non offerantur in altari. Certum est autem, quod episcopus et presbyteri dividant et diaconis et reliquis clericis » (4).

Prohibet autem concilium Eliberitanum (c. 300) ne denuo occasione baptismi quid pecuniæ erogetur : « Emendare placuit ut, qui baptizantur, ut fieri solebat, nummos in concham non immittant, ne sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur » (5).

(1) *Contra hæreses*, lib. IV, c. XVIII, n. 2. Ed. Migne, *P. G.*, VII, col. 1025.
(2) Can. 3. Hard., I, col. 33.
(3) Can. 4. *Ibid.*
(4) Can. 5. *Ibid.*
(5) Can. 48. *Ibid.*, col. 255.

2) Præter has fidelium oblationes, commemorandæ sunt *primitiæ* atque *decimæ* : quarum usum, Veteris Legis exemplo inductum (1), SS. Patres assidue commendabant.

S. Cyprianus, factum alicujus fidelis arguendo qui « presbyterum tutorem testamento suo nominaverit », exemplum adducit leviticæ tribus, cui in lege erat ut, « aliis terram colentibus, illa tantum Deum coleret et ad victum atque alimentum suum ab undecim tribubus de fructibus qui nascebantur *decimas* reciperet ». Eodem modo Novi Fœderis Ministros fidelium oblationibus alendos esse docet : « Quæ nunc ratio et forma in clero tenetur, ut qui in ecclesia Domini ordinatione clerica promoventur in nullo ab administratione divina avocentur, ne molestiis et negotiis sæcularibus adligentur, sed *in honore sportulantium fratrum tamquam decimas ex fructibus accipientes* ab altari et sacrificiis non recedant » (2).

Alibi queritur idem S. Episcopus quod « unanimitas deminuta » sit, « largitas operationis infracta » sit : « at nunc de patrimonio *nec decimas damus* » (3).

Primitiarum ac decimarum usum urget Origenes, allegando verba Christi *Matth.*, V, 20 : « Decet enim et utile est etiam sacerdotibus Evangelii offerri primitias. Ita enim et Dominus disposuit, ut qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant ; et qui altari deserviunt, de altari participent. — Et sicut hoc dignum ac decens est, sic e contrario et indecens et indignum existimo et

(1) Cf. de decimis : Levit, XXVII, 30, 35. — Numer., XXVIII, 21 ; de primitiis : Exod., XXI, 29 ; XVIII, 8, 11 sqq. ; Numer. X.

(2) *Epist.* I, 1. Ed. Hartel, part. II, p. 466.

(3) *De catholicæ ecclesiæ unitate*, c. 26. Ed. Hartel, I, p. 232.

impium, ut is qui Deum colit, et ingreditur ecclesiam Dei, — qui scit sacerdotes et ministros assistere altari, et aut verbo Dei aut ministerio ecclesiæ deservire,... non offerat primitias sacerdotibus. Non mihi videtur hujusmodi anima habere memoriam Dei, nec cogitare, nec credere, quia Deus dederit fructus quos cepit, quos ita recondit, quasi alienos a Deo. Si enim a Deo sibi datos crederet, sciret utique numerando sacerdotes honorare Deum de datis et muneribus suis. Et adhuc ut amplius hæc observanda etiam secundum litteram ipsius Dei vocibus doceantur, addemus ad hæc. Dominus dicit in Evangeliis : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham... et præteritis quæ majora sunt legis... Quod si dicas, quia hæc ad Pharisæos dicebat, non ad discipulos, audi iterum ipsum dicentem ad discipulos : *Nisi abundaverit*... Quod ergo vult fieri a Pharisæis, multo magis et majore cum abundantia vult a discipulis impleri » (1).

Vetus disciplina de primitiis ac decimis in Constitutionibus Apostolorum sedulo dein determinata est. Hæc tantum e lib. II excerpimus : « Hos (sc. sacerdotes) principum ac regum loco vobis præesse existimate ; his tamquam regibus vectigalia offerte : nam de bonis vestris ipsi eorumque domestici ali debent. Quod in Regum primo libro (cap. 8) Samuel populo edixit de rege ; quod in Levitico Moyses de sacerdotibus : idem nos vobis edicimus de Episcopis. Episcopum diligere ut

(1) *Homilia XI in Numeros*, n. 2. Ed. Migne, *P. G.*, XII, col. 644. — Idem reperimus argumentum apud Chrysost., *in Matt. homil. LXIV*, n. 4. Ed. Migne, *P. G.*, LVIII, col. 615; August., *in Psalm CXLVI*, n. 17. Ed. Migne, *P. L.* XXXVII, col. 1911; Constit. Apostolorum, l. II, c. 35. Cotelerius, *Patres Apostolici*, I, p. 245.

patrem debetis, vereri ut regem, honorare ut dominum; offerendo ei in benedictionem vestram fructus vestros atque manuum vestrarum opera; tribuendo ipsi, tamquam Dei sacerdoti, *vestras primitias ac decimas*, vestra exceptitia ac munera, primitias frumenti, olei, pomorum, lanæ, omniumque denique, quæ vobis Deus concesserit » (1).

3) Neque tandem his veluti statutæ formæ donis fidelium in Ecclesiam largitas continebatur, sed et spontanea sua dona ipsi conferebant; neque non audiebatur vox Cypriani exemplum proponentis primordiorum Ecclesiæ, in quibus fideles omnia sua vendebant atque « libenter ac largiter apostolis offerebant » (2).

Horum donorum meminerunt, citato libro II, Const. Apostolorum : « Debetis ergo, fratres, sacrificia vestra et oblationes Episcopo velut Pontifici, vel per vos ipsi, vel per diaconos offerre : quin etiam primitias quoque et decimas, et *spontanea dona* ei afferte » (3).

At Ecclesia eorum incunctanter dona rejiciebat qui a fidelium communitate deficiebant : « Marcion quidem cum ducentis sesterciis quæ ecclesiæ intulerat, novissime in perpetuum discidium » relegatus est (4). Eademque ratione concilium *Eliberitanum* : « Episcopos placuit, ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere » (5).

(1) Cap. 34. *Loc. cit.*, pp. 244, 245.— De decimarum ac primitiarum usu, cf. *ibid.*, cap. 25. *Loc. cit.*, pp. 236-238. — Cf. Helle, *loc. cit.*, p. 17, sq.

(2) *De op. et eleem.*, c. 25. Ed. Hartel, I, p. 395.

(3) Cap. 27. *Loc. cit.*, p. 241.

(4) Tertull., *De præscriptionibus*, c. XXX. Ed. Migne, *P. L.*, II, col. 49. Cf. *Adv. Marcionem*, IV. Ed. Migne, *P. L.*, II, col. 394.

(5) Can. 28. Cf. Helle, *loc. cit.*, pp. 20, 21.

Hisce igitur fidelium oblationibus plura quæ necessaria erant exercendo cultui, alendis ministris, pauperibusque adjuvandis subministrabantur. Priusquam autem de immobilibus bonis agamus ab Ecclesia persecutionum ævo possessis, paucis advertere liceat quantæ facultates tunc temporis Ecclesiæ necessariæ fuerint, sive quantis expensis ipsa satisfacere debuerit. Ecclesia Romana, tempore Cornelii Pontificis, præterquam cultus ministris permultis, « viduis cum infirmis et egentibus plusquam mille et quingentis » (1) sustentabatur. De subsidiis ad exteras ecclesias missis jam locuti sumus (2).

Pari modo, ecclesiæ singulæ, non tantum presbyterio (3) et clericis, sed et egenis necessaria suppeditabant. Hoc aperte significat S. Cyprianus in sua responsione ad episcopum qui eum de agendi ratione servanda cum histrione quodam ad fidem converso interrogaverat : « Quod si pœnuriam talis et necessitatem paupertatis optendit, potest *inter cæteros qui ecclesiæ alimentis sustinentur* hujus quoque necessitas adjuvari. Quod si illic ecclesia non sufficit ut laborantibus præstet alimenta, poterit se ad nos transferre et hic quod sibi ad victum atque ad vestitum necessarium fuerit accipere » (4).

Idem S. Carthaginensis Episcopus, tempore schis-

(1) *Epist.* Cornelii Papæ *ad Fabium Antiochenum.* Ap. Eusebium, *Hist. eccl.*, lib. VI, c. XLIII. Ed. Migne, *P. G.*, XX, col. 622.

(2) Cf. pp. 94, sq.

(3) Cf. S. Cypr., *Epist.* XXXIX : « Cæterum presbyterii honorem designasse nos illis jam sciatis, ut et *sportulis* idem cum presbyterio honorentur, et *divisiones mensurnas* æquatis quantitatibus partiantur... » Ed. Hartel, II, p. 585. — *Epist.* XXXIV : « Interea se *a divisione mensurna* tantum contineant, non quasi a ministeris ecclesiastico privati esse videantur, sed ut integris omnibus ad nostram præsentiam differantur. » Ed. cit., p. 571.

(4) *Epist.* II. Ed. Hartel, pp. 468, 469.

matis a Felicissimo excitati, delegatos constituerat qui post persecutionem multorum fratrum indigentiam sublevarent (1); quibus legatis scribendo : « cumque ego vos pro me vicarios miserim, *ut expungeretis necessitates fratrum nostrorum sumptibus istis* », mox fidelium constantia lætatur : « In quo quidem gratulor plurimos fratres ab ejus audacia recessisse et vobis adquiescere maluisse ut *cum ecclesia matre remanerent et stipendia ejus episcopo dispensante* perciperent » (2).

Alias etiam Ecclesiæ necessitates compertas habemus querelis quibusdam Tertulliani, qui præ suo Montanistæ rigorismo fugam in persecutione prouti illicitam damnabat. Quum Christiani « quotidie obsiderentur, quotidie proderentur » (3) et « in ipsis arcanis congregationibus detinerentur » (4), Ecclesia, ad illud periculum aliquatenus arcendum, hoc usa est medio, ut tributum solveret *Beneficiariis* et *Curiosis*, satellitibus scilicet qui securitati publicæ invigilabant (5). Quod acerbe Tertullianus insectatur : « Ultro et de hoc tibi suggeram, definiens persecutionem, quam constat non esse fugiendam, proinde nec redimendam... Parum denique est si unus aut alius ita eruitur, massaliter totæ ecclesiæ tributum sibi irrogaverunt. Nescio dolendum an erubescendum sit, cum in matricibus Beneficiariorum et Curiosorum inter tabernarios et lanios et fures balneorum et alleones et lenones, Christiani quoque vectigales conti-

(1) Cf. cl. Jungmann, *Dissert. sel. in Historiam eccl.*, I. Ratisbonæ, 1880, diss. IV, p. 288,

(2) *Epist.* XLI. Ed. Hartel, pp. 587, sqq.

(3) *Apologet.*, d. 7. Ed. Migne, *P. L.*, I, col. 359.

(4) *Ad Nationes*, I, 7. Ed. Migne, I, col. 639.

(5) Cl. Jungmann, *loc. cit.*, I, diss. III, p. 192.

nentur » (1). Ipse eodem animo impetebat collectas extraordinarias quas ad subveniendum his variis expensis episcopi indicebant : « Bene autem, quod et episcopi universæ plebi mandare jejunia assolent, non dico *de industria stipium conferendarum, ut vestræ capturæ est,* sed interdum et ex aliqua sollicitudinis ecclesiasticæ causa » (2).

III. *Bona Ecclesiæ immobilia.* — His temporum exigentiis Ecclesiæ occurrendum erat. Porro, eo ipso tempore quo, nedum Ecclesia ut « corpus morale » seu legitima societas a civilibus legibus agnosceretur, at omnis humana potestas Christianis conclamans audiebatur : « Non licet esse vos » (3), Ecclesia ea immobilia bona possidere incepit quæ ei, adaucto fidelium numero, jam necessaria erant. Quod a III° saltem sæculo « corpus Christianorum » immobilia etiam bona possesserit, factum est de quo antiquitatis testimonia dubitare non sinunt (4).

Apud Tertullianum legimus, circa initia sæculi III, motus a plebe Carthaginensi excitatos esse quibus postulabatur suppressio cæmeteriorum christianorum : « Sub Hilariano præside (203), cum *de areis sepulturarum nostrarum* acclamassent : *Areæ non sint* » (5). Iisdem autem ex annis primum servatur documentum ecclesiasticæ administrationis cæmeteriorum romanorum. Narrat de Zephyrino pontifice Auctor Philosophoumenon quod

(1) *De fuga in persecutione*, capp. XII, XIII. Ed. Migne, *P. L.*, II, coll. 135, 136; 140, 141.

(2) *De jejuniis*, c. XIII. Ed. Migne, *P. L.*, II, col. 1023.

(3) Tertull., *Apologet.*, IV. Ed. Migne, *P. L.*, I, col. 334.

(4) Cf. De Rossi, *La Roma sotterranea cristiana*, I, Romæ, 1864, p. 197.

(5) *Ad Scapulam*, c. III. Ed. Migne, *P. L.*, I, col. 779.

Callistum « Antio revocatum *cœmeterio præfecit*, εἰς τὸ κοιμητήριον κατέστησεν » (1).

Qua autem via ad hanc communem possessionem Christiani pervenerint, jam nunc, a præclaris editis illustris viri De Rossi operibus, universim fere admittitur. *Collegia* nempe *funeraticia*, quæ Romæ a sæc. I constitui permittebantur, vi rescripti a Septimo Severo *ultimis annis sæculi secundi* dati, per totum imperium certis sub conditionibus efformari licuit. Quum primis Ecclesiæ temporibus, cœmeteria ab his qui inter Christianos temporalibus facultatibus pollerent privato nomine possideri potuissent (2), in immensum tamen crescente fidelium numero, Christiani, ut Ecclesiæ necessitatibus sufficienter provideretur, collegia funeraticia pro cœmeteriis suis possidendis constituerunt (3). Collegia rerum suarum communium administratorem habebant, eum nempe « actorem sive syndicum, per quem tanquam in republica quod communiter agi fierique oporteat, agatur, fiat » (4). Hæc est præsidentia illa cœmeterii quam R. P. Zephyrinus Callisto concredidit; cœmeterium autem illud, de quo agitur, prout a De Rossi demonstra-

(1) Lib. IX, 2. Ed. Cruice. Parisiis, 1860, p. 441. Cf. De Rossi, *loc. cit.*

(2) *Roma soterr.*, I, p. 102. — Ut perspiciatur quomodo potuerint a primis fidelibus privatæ sepulturæ in cœmeteria converti, cf. P. Allard, *Hist. des persécutions pendant la première moitié du troisième siècle*. Paris, 1886, append. A, *Les domaines funéraires des particuliers et des collèges*, pp. 439, sqq.; app. B, *Les domaines funéraires chrétiens*, pp. 456, sqq.

(3) Cf. De Rossi, *loc. cit.*, p. 104; *Bullettino di archeologia cristiana*, 1866, pp. 11, sqq. — P. Allard, *loc. cit.*, pp. 9, sqq. — Collationem videre est institutam inter locum Tertulliani supra cit. (*Apol.*, 39, cf. p. 3) variaque documenta qua ad constitutionem collegiorum funeraticiorum spectant.

(4) Gaius, *Dig.*, III, IV, 1, § 1.

tum fuit, cœmeterium est « Callisti », quod speciale fuit, per totum sæculum III, Romanorum Pontificum cœmeterium, sicque Callistus « ut primus diaconus Pontificis, actor et syndicus erat corporis fidelium, administrator rerum temporalium, arcæ ecclesiasticæ et bonorum ecclesiæ » (1). Addendum tamen est facta ævi illius, quo Christianismus « religio vetita » decernebatur, explicari vix posse, quin simul ex parte potestatis civilis, tolerantia quædam admittatur; ipsa nimirum, cum quiesceret persecutio, in Christianorum communitate nonnisi admissam collegii funeraticii formam attendere visa est (2).

De S. Pontifice Fabiano, qui a. 236-250 Ecclesiam rexit, in *Libro Pontificali* traditur quod cæmeteriorum administrationem inter septem diaconos distribuerit, regiones ipsis assignando eisque construendas in cæmeteriis committendo fabricas : « Hic regiones dividit diaconibus... et multas fabricas per cymiteria fieri præ-

(1) Cl. JUNGMANN, *loc. cit.*, diss. III, p. 195. — Cf. DE ROSSI, *Roma sott.*, t. I, pp. 197, sqq.; *Bull. di archeol. crist.*, 1866, p. 11. — Cum his comparari possunt quæ nobis servata sunt de S. Diacono LAURENTIO, ap. S. AMBROSIUM, *De officiis ministrorum*, lib. II, cap. XXVIII, nn. 140, 141. Ed. MIGNE, *P. L.*, XVI, col. 141. Item, ap. PRUDENTIUM, *Peri Stephanôn*, II, 37, sqq. Ed. MIGNE, *P. L.*, LX, coll. 293, sqq.

(2) Ita ALLARD : « De là, toutes les fois que la lutte n'est pas à l'état aigu, pendant les intervalles de temps où l'Empire permet à l'Eglise de respirer, une tolérance volontaire, une sorte d'entente tacite de la part du pouvoir. Alors, dans « le corps des chrétiens » il consent à ne voir autre chose que le collège funéraire : il ferme les yeux sur tout le reste et, selon l'expression d'un poète, tient caché son glaive (*S. Paulin de Nole*, XVI, 215). A-t-il à traiter avec les chrétiens, à juger leurs procès, à correspondre avec leurs chefs, il envisage en eux la corporation, non la religion. C'est, comme le dit M. de Rossi, un *modus vivendi* pratique (*Roma sott.*, t. III, p. 511), une transaction réservant de part et d'autre les principes, maintenant dans les faits un accord provisoire. » *Les dernières persécutions du troisième siècle.* Paris, 1887, *Introd.*, pp. X, sq.

cepit » (1). Quæ fabricæ oratoria fuisse videntur non quidem subterranea, at super ipsa cæmeteria subterranea ædificanda, ut fidelium conventibus, pro ipsorum opportunitate, inservirent (2).

Christiani autem jam publice jura sua vindicant : Alexandro Severo, teste Lampridio, inter Christianos Popinariorumque corporationem judicandum datur. « Cum Christiani quemdam locum qui publicus fuerat, occupassent, contra Popinarii dicerent sibi eum deberi, rescripsit melius esse, ut quomodocumque Deus illic colatur, quam Popinariis dedatur » (3).

De ecclesiis a Christianis ubique locorum conditis loquitur Origenes. Ipse vero, quum in Cappadocia, tempore persecutionis Maximini, degeret, Christianorum ecclesias incensas fuisse scribit : variarum enim calamitatum, quæ tunc temporis acciderant, pagani Christianos causam esse dixerunt, « propter quod et persecutiones passæ sunt ecclesiæ et incensæ sunt » (4).

Anno 257, Valerianus Imp. decernit ne Christiani cæmeteria sua adeant. Refert Dionysius Alexandrinus quibus verbis a præfecto Æmiliano interrogatus fuerit; cujus, ipsiusque Dionysii verba « actis publicis inserta leguntur » : « ... Æmilianus præfectus dixit : Nullatenus autem licebit vobis nec quibuscumque aliis, conventus agere, aut *ea quæ vocantur cæmeteria adire*, ἢ εἰς

(1) Liber Pontificalis, *Fabianus*. Duchesne, t. I. Paris, 1886, p. 148. Cf. *ibid*. notæ 3-5. — Cf. De Rossi, *loc. cit.*, pp. 198, 199.

(2) Cl. Jungmann, *loc. cit.*, 1, diss. IV, p. 273. — Cf. De Rossi, *loc. cit.*

(3) Lampridius, *Alex. Sev.*, 49. — Cf. P. Allard, *Histoire des persécutions pendant la première moitié du troisième siècle*. Paris, 1886, pp. 184, 185.

(4) *In Matth.*, *Commentariorum series*, n. 39. Ed. Migne, *P. G.*, XIII, col. 1654.

τὰ καλούμενα κοιμητήρια εἰσίεναι » (1). Item, in *Actis S. Cypriani* proconsul Paternus : « Præceperunt etiam, ne in aliquibus locis conciliabula fiant nec *cæmeteria ingrediantur*. Si quis itaque hoc tam salubre præceptum non observaverit, capite plectetur » (2).

Valeriano autem patre a barbaris capto atque in servitutem redacto, Gallienus missis edictis, persecutioni finem imposuit, variisque rescriptis *ad episcopos datis* loca religiosa Christianis restituit. In hujusmodi rescriptis, juxta tenorem nobis ab Eusebio traditum, præceptum refert Imperator ut qui loca illa a fidelium usu prohibita detinerent, ab iis discederent : « Præcepimus, ut cuncti a religiosis locis abscedant. Quocirca et vos rescripti nostri forma uti potestis, ut nullus vobis deinceps molestiam facessat » (3). Additque Eusebius : « Est et alia ejusdem imperatoris constitutio *ad alios episcopos* data, qua iis permisit *ut cæmeteriorum suorum loca recuperarent*, τὰ τῶν καλουμένων κοιμητηρίων ἀπολαμβάνειν ἐπιτρέπων χωρία » (4).

Hæc autem restitutio fit *episcopis* : quo manifestum est hæc loca non ad privatum quemdam, sed ad Ecclesiam pertinuisse (5).

Restitutis Ecclesiæ bonis, S. Dionysius Pontifex (259-269) ecclesias presbyteris commisit, cœmeteriorumque administrationem ordinavit : « Hic presbyteris

(1) Ap. Euseb., *Hist. eccl.*, VII, 11. Ed. Migne, *P. G.*, XX, col. 665.

(2) *Acta proconsularia*, 1. — Inter opp. S. Cypriani. Ed. Hartel, P. III, p. CXI. — Cf. De Rossi, *loc. cit.*, I, p. 103; P. Allard, *Les dernières persécutions du troisième siècle.* Paris, 1787, pp. 55, sqq.

(3) Euseb., *Hist. eccl.*, VII, 13. Ed. Migne, *P. G.*, XX, col. 674.

(4) Euseb., *loc. cit.*, col. 676.

(5) Cf. De Rossi, *Roma sotterranea*, I, pp. 103, sq.; pp. 200, sq.

ecclesias dedit et cymiteria... constituit » (1). Si præcipua quædam facta, quæ ad rem nostram temporum serie pertineant, percurrere pergamus, celebre non prætermittemus judicium ab Aureliano Imperatore a. 272, in causa Pauli Samosateni latum. Cum Paulus in synodo depositus « e domo ecclesiæ nullatenus excedere vellet, interpellatus imperator Aurelianus rectissime hoc negotium dijudicavit, iis domum tradi præcipiens, quibus Italici Christianæ religionis antistites et Romanus episcopus scriberent ». Atque vi hujus sententiæ « vir supra memoratus cum summo dedecore per sæcularem potestatem ab ecclesia exturbatus est » (2).

His autem temporibus quæ Diocletiani persecutionem præcesserunt, versus finem nempe sæculi III, quantum « imperatorum benignitate erga nostros » Christiani profecerint, ab Eusebio describitur : « Quis immemorabilem hominum quotidie ad fidem Christi confugientium turbam, quis numerum ecclesiarum in singulis urbibus, quis illustres populorum concursus in ædibus sacris, cumulate possit describere? Quo factum est ut, priscis ædificiis jam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis exstruerent ecclesias » (3).

At non ita multo post crudelissima ea exardescit persecutio quæ ad illam usque diem Ecclesiam exagitabit qua, profuso tot martyrum sanguine, ipsa tandem libertatem solennemque ac firmam jurium suorum agnitionem comparabit. Eo ipso tempore quo primum editum

(1) Liber Pontificalis, *Dionysius*. Duchesne, p. 157. Cf. *ibid.*, n. 3; *Introd.*, p. C. — Cf. P. Allard, *Les dernières persécutions du troisième siècle*, p. 170; De Rossi, *Roma sotterr.*, I, pp. 200, sq.

(2) Euseb., *Hist. eccl.*, VII, c. 30. Ed. Migne, *P. G.*, XX, col. 719.

(3) *Ibid.*, VIII, 1. Ed. Migne, coll. 739, 742.

est generalis persecutionis decretum, illa invasa est et exspoliata Nicomediæ ecclesia quæ « in alto constituta... ex palatio videbatur »; « fanum illud editissimum » immissi prætoriani « paucis horis solo adæquarunt » (1). Tumque decretum est « ut Christianorum conventus penitus abolerentur » (2); Christiani « ædes sacras solo æquari ac funditus subverti » (3) viderunt. Commemoremus tamen, inter tot ruinas, ecclesiam, teste S. Gregorio Nysseno (4) servatam, quæ III° sæculo a S. Gregorio Thaumaturgo Neocesaræææ Ponti exstructa fuerat. Liceat tandem, quod ad provincias spectat quæ Constantio commissæ fuerant, hæc quæ habet Lactantius referre : « Constantius, ne dissentire a majorum præceptis videretur, conventicula, id est parietes, qui restitui poterant, dirui passus est : verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servavit » (5). De bonorum ecclesiæ romanæ spoliatione quid nobis notum sit videsis ap. Allard, *loc. in notis citato*, pp. 185-189.

Jam ad pacatiora subsequentia tempora properemus. Quum adhuc in Oriente præsertim sæviret persecutio, Maxentio Romæ regnante, S. Pont. Marcellum (308) cæmeteriorum quorum christianis accessus patebat ad-

(1) Lactantius, *De mortibus persecutorum*, c. XII. Ed. Migne, *P. L.*, VII, col. 214.

(2) Ita refertur in constitutione a Maximino pro Christianis data. Ap. Euseb., *Hist. eccl.*, IX, 10. Ed. Migne, *P. G.*, XX, col. 834.

(3) Euseb., *loc. cit.*, VIII, 2. Ed. Migne, col. 743. — De ecclesiarum direptione, cf. P. Allard, *La persécution de Dioclétien et le triomphe de l'Eglise*. Paris, 1890, pp. 174-178.

(4) « Ὁ μέχρι τοῦ παρόντος δεικνύμενος. » *Vita S. Gregorii Thaumaturgi*. Ed. Migne, *P. G.*, XLVI, col. 924.

(5) *De mortibus persec.*, c. XV. Ed. Migne, *P. L.*, VII, col. 217.

ministrationi providentem reperimus (1). Galerius, morbo tandem devictus, edicto a. 311 promulgato, impertitur « ut denuo sint christiani et conventicnla sua componant (2) ».

Romæ, anno 311, juxta documentum a Donatistis a. 411 prolatum, de quo S. Augustinus, *Brevic. collat. cum Donatistis*, III, 34 (3), Maxentii rescripto Melchiadi pontifici conceditur ut bona ecclesiastica recuperet : « Gesta alia recitarunt, in quibus legebatur Melchiades misisse diaconos cum litteris Maxentii imperatoris et litteris præfecti prætorio ad præfectum urbis, ut ea reciperent quæ tempore persecutionis ablata memoratus imperator christianis jusserat reddi », atque *ibid.* « Stratonem diaconum, quem cum aliis Melchiades ad recipienda loca ecclesiastica miserat ».

Nihil tandem explicitius proferri potest ac edictum, a. 313, a Constantino et Licinio Mediolani datum quo Christianismus « religio licita » solenniter proclamatur. In hoc enim statuitur : « Insuper in persona christianorum statuendum esse censuimus, quod si eadem loca, ad quæ antea convenire consueverant... priore tempore aliqui vel a fisco nostro, vel ab alio quocumque videntur

(1) « Hic fecit cymiterium Novellæ, via Salaria, et XXV titulos in urbe Roma constituit, quasi diocesis, propter baptismum et pœnitentiam multorum qui convertebantur ex paganis et propter sepulturas martyrum. » LIBER PONTIFICALIS, *Marcellus*. DUCHESNE, t. I, p. 164. Cf. n. 5, p. 165.

(2) LACTANTIUS, *De mort persecut.*, c. XXXIV. Ed. MIGNE, *P. L.*, VII, col. 250. — EUSEBIUS, qui edictum ex latina lingua in græcum sermonem transtulit, hæc ita refert : « ἵνα αὖθις ὦσι Χριστιανοί, καὶ τοὺς οἴκους ἐν οἷς συνήγοντο συνθῶσιν. » —*Hist. eccl.*, lib. VIII, c. XVII. Ed. MIGNE, *P. Gr.*, t. XX, col. 798.

(3) Ed. MIGNE, *P. L.*, XLIII, coll. 645, 646. — Cf. JAFFÉ, *Regesta Pontificum Romanorum*, I, Berolini, 1851, p. 13.

esse mercati, eadem christianis sine pecunia, et sine ulla pretii petitione, postposita omni frustratione atque ambiguitate, *restituantur*. Qui etiam dono fuerunt consecuti, eadem similiter hisdem christianis quantocius reddant... Quæ omnia *corpori christianorum* protinus per intercessionem tuam, ac sine mora tradi oportebit. Et quoniam iidem christiani non ea loca tantum, ad quæ convenire consueverunt, sed alia etiam habuisse noscuntur, *ad jus corporis eorum, id est, Ecclesiarum, non hominum singulorum, pertinentia*, ea omnia lege, qua superius, comprehendimus... citra ullam prorsus ambiguitatem vel controversiam hisdem christianis, id est corpori et conventiculis eorum reddi jubebis (1) ».

(1) Lactantius, *loc. cit.*, c. XLVIII. Ed. Migne, *P. L*, VII, coll. 269, 270. — In hanc secundam edicti Mediolanensis partem quam modo retulimus, ita concludit eruditus auctor sæpe citat. Allard : « Telles sont les dispositions de sa seconde partie ; on en comprend aisément toute la portée. Dans la première, Constantin et Licinius ont solennellement reconnu aux individus la liberté de professer le christianisme ; dans celle-ci, ils reconconnaissent l'existence de la société chrétienne : tous les mots qui peuvent la désigner, *corpus*, *conventiculum*, *ecclesia*, sont successivement employés ; elle est distinguée avec soin des particuliers, *ad jus corporis eorum, id est Ecclesiarum, non hominum singulorum, pertinentia ;* son domaine collectif est nettement mis à part de la propriété individuelle ; son droit d'être et de posséder, antérieur aux persécutions et supérieur aux lois qui l'avaient contesté, est avoué par l'effet rétroactif donné aux mesures prises pour le rétablir ; l'Eglise acquiert définitivement, vis-à-vis de l'Etat, cette personnalité morale et civile qu'elle essaya jadis d'abriter sous le couvert des lois relatives aux associations funéraires, et qu'un édit solennel lui permet aujourd'hui de prendre sans subterfuge, au grand soleil, à la face de tous. Désormais, elle pourra, dans la sphère immense où Dieu l'appelle à se mouvoir, exercer utilement tous ses droits et remplir toute sa mission. » *La persécution de Dioclétien et le triomphe de l'Eglise*, II. Paris, 1890, pp. 248, 249. Cf. *Epist. ad Anulinum*. Euseb., *Hist. eccl*., X, 5. Ed. Migne, *P. G.*, XX, col. 886. Item, *Epist. ad Episcopos Palæstinæ :* « Neque enim vel fisco concedetur, si quid eorum quæ supra dixi possideat (bona nempe confessorum et martyrum), id firmiter retinere. Verum ad-

Hucusque expositis sufficienter constat Ecclesiam, eo ipso tempore quo omnem sæculi potestatem infensam habebat, quoque homines exstinctionem etiam operis Christi omni conatu moliebantur, jus suum necessaria bona sibi comparandi exercuisse, et ab ipso sui exordio tamquam proprium et independens actibus suis proclamasse.

Jam libet de juris illius natura atque inviolabilitate præcipuorum quorumdam SS. Patrum doctrinam exponere.

§ 2. *Doctrina SS. Patrum de jure Ecclesiæ acquirendi ac possidendi bona temporalia.*

Ad Patrum doctrinam aliquantisper indagandam sermonem jam directuri, quum et ii qui Ecclesiæ jura insectantur ad ipsos ecclesiasticæ doctrinæ fontes provocare non dubitent, — de quibus Ecclesiæ adversariis illud occurrerit Augustini : « Qui contra Christum portant signum Christi, et contra Evangelium de ipso Evangelio, quod non intelligunt, gloriantur » (1) — in eorum præsertim SS. Patrum deprehendenda sententia

versus sacrosanctas ecclesias nihil obloqui ausus, ea quæ aliquandiu *injuste detinuit*, ecclesiis tandem jure restituet. Omnia ergo quæ ad ecclesias recte visa fuerint pertinere, sive domus ac possessio sit, sive agri, sive horti, sive quæcumque alia, nullo jure quod ad dominium pertinet imminuto, sed salvis omnibus atque integris manentibus, restitui jubemus. Sed et loca illa quæ martyrum reliquiis honorata sunt, et quæ gloriosi illorum interitus memoriam servant, *quis ambigit ad Ecclesias pertinere*, imo vero quis non id præcipiat?... ut quæ improbo quodam prætextu ab injustis ac nequissimis hominibus ablata sunt, ea justissime restituta sanctis Dei ecclesiis denuo redhibeantur. » Euseb. *Vita Constantini*, II, capp. 39,40 . Ed. Migne, *P. G.*, XX, coll. 1015-1018.

(1) *Epist.* CCIV, n. 2. Ed. Migne, *P. L.* XXXIII, col. 939

immorabimur, quorum auctoritate nonnulli abusi sunt, quosque sic in præclaro traditionis concentu dissonantes voces producere autumaverunt.

Hic autem exponenda non sunt quæcumque SS. Patres de Ecclesiæ bonis referunt, operaque prorsus miranda quibus adimplendis Ecclesiæ facultates, testantibus ipsis, inservierunt (1); sed ea tantum attingemus quæ de ipsa juris Ecclesiæ indole Patres illi tradiderunt, quibus nempe eos ore unanimi jus illud tamquam divinitus concessum affirmasse convincatur.

S. Cyprianus. — Illustris Carthaginensis Antistes, cujus exhortationes jam supra retulimus, manifestissime affirmat verum jus Ecclesiæ in bona sua competere, jus illud sacrum esse, cujus violatio crimen est atque sacrilega deprædatio. Sequentia ex ipsius epistolis depromimus.

Scripserat ipsi S. Pontifex Cornelius, simul ac de aliis, de quodam Nicostrato : « Invigiletur ergo ut omnibus coepiscopis nostris et fratribus innotescat : Nicostratum multorum criminum reum et non solum patronæ suæ carnali cujus rationes gessit, fraudes et rapinas fecisse, verum etiam, *quod est illi ad perpetuam pœnam reservatum, ecclesiæ deposita non modica abstulisse* » (2).

Cui S. Cyprianus rescripsit :

(1) Cf., v. g., quæ de ecclesia Antiochena narrat Chrysostomus : « Cogites velim quot viduas, quot virgines alat quotidie : earum certe catalogus ad ter mille pertingit. Ad hæc etiam in carcere vinctos, in xenodochio ægros, alios bene valentes, peregrinos membris mutilos, altari assidentes, alimenti vestisque causa, aliosque casu accedentes fovet quotidie. » *In Matth.* homil. LXVI, n. 3. Ed. Migne, *P. G.*, LVIII, col. 630.

(2) Inter *epist. Cyprianicas*, L. *Corpus script. eccl. lat.*, vol. III, Hartel, Vindobonæ, 1871, part. II, p. 613.

« ... Niceforus cum vestris litteris supervenit, quibus et didicimus et docere atque instruere cæteros cœpimus... Nicostratum quoque *diaconio sanctæ administrationis amisso, ecclesiasticis pecuniis sacrilega fraude subtractis* et viduarum ac pupillorum depositis denegatis non tam in Africam venire voluisse quam conscientia rapinarum et criminum nefandorum illinc ab urbe fugisse... Quomodo adsumit sibi regendæ aut gubernandæ ecclesiæ curam qui *spoliavit et fraudavit ecclesiam Christi?* » (1).

In hac eadem epistola, de Novato loquens, ea profert : « Spoliati ab illo pupilli, fraudatæ viduæ, *pecuniæ quoque ecclesiæ denegatæ* has de illo exigunt pœnas quas in ejus furore conspicimus » (2).

S. Gregorius Nazianzenus. — Quid ipsi de jure Ecclesiæ visum fuerit, apparet ex epistola illa qua, Ecclesiæ jura pastoris vigilantia defendendo, Ærium et Alypium admonet atque exhortatur ut, quum horum mater bonorum suorum partem in pauperum sustentationem Ecclesiæ reliquerit, illi ea bona absque mora Ecclesiæ deferant. Et quibusnam verbis? « Ut, ait, *quæ proprie Dei sunt.* ὡς οἰκεῖα τὰ τοῦ Θεοῦ, impenderitis » (3).

S. Joannes Chrysostomus. — Indolem juris Ecclesiæ, quippe qua bona ipsius sint bona sacra, quorumque direptio absque sacrilegio perfici nequeat, inclytus S. Præsul instantissime denuntiat. Loquitur in *Homi-*

(1) *Epist.* LII. Ed. cit., p. 617.
(2) *Loc. cit.*, p. 619.
(3) Ed. Migne, *P. G.*, XXXVII, coll. 121, 122.

lia XII in Acta Apost. de pœna Ananiæ et Sapphiræ divinitus immissa : « At dixerit fortasse quispiam, acerbissime cum illa (Sapphira) actum esse. Quid, quæso, dicis? Quæ acerbitas? Si is, qui ligna collegit in sabbato, lapidatur, *multo magis qui sacra diripit : etenim pecuniæ illæ jam sacræ erant.* Itaque qui voluit sua vendere et dare, deindeque subripit, *sacrilegus certe fuerit.* Si vero is, qui ex suis subripit, sacrilegus est, multo magis is, qui ex alienis. Ne putetis enim, quia jam non ita fit, nec statim sequitur ultio, hæc impune fore. Viden' hoc in crimen vocari, quod *cum illas pecunias sacras fecisset*, de illis subripiat? Annon, inquit, poteras illis venditis, ut propriis uti? num prohibitus es? cur subripis, postquam promisisti?... *Sacrorum* enim *expilatio* (ἱεροσυλία, sacrilegium) admodum gravis est, dilecte, et magno contemptu plena. Neque vendere coegimus, inquit, neque pecunias ex venditis acceptas dare : tu id ex proposito tuo fecisti : cur ergo *ex sacris pecuniis furatus es?* A principio retinere oportuit, et non promittere : nunc autem, *postquam consecraveras* subripiens, *majus sacrilegium admisisti.* Nam qui aliena rapit, forte ex alienarum rerum cupiditate rapit : tibi vero licebat tua habere. Cur ergo illa *sacra reddidisti*, et postea rapuisti? Ex magno contemptu id fecisti. Facinus veniam non habet, excusatione caret » (1).

In *Homil. II in Epist. II ad Timoth.*, de sacerdotibus non judicandis disserit : « At, inquies, ille pauperibus non erogat, neque recte administrat... Vitam tuam scrutare. Non furaris? sed rapis, sed vim infers et alia innumera similia perpetras. Hæc dico, non furtum

(1) N. 2. Ed. Migne, *P. G.*, LX, coll. 101, 102.

laudans, absit; sed lacrymas fundens si quis talis fuerit, nedum approbem. Quantum enim malum sit sacrilegium (ἡ ἱεροσυλία) ne dici quidem possit.. tu de sacerdote dicis, non sum sicut iste sacrorum expilator (ἱερόσυλος)... » (1).

Quum igitur res Ecclesiæ datæ eo ipso Deo sacratæ sint, diligentiam in administrandis Ecclesiæ facultatibus adhibendam pluribus urget Chrysostomus : quam curam difficilibus sacerdotii muneribus accenset : « Porro tales viduas *sumptibus Ecclesiæ* ali, id et a Deo supplicium et apud homines infamiam summamque damnationem parit, beneficorumque animum segniorem efficit. Nam quis umquam velit pecunias, *quas Christo dare jussus est,* iis largiri, qui Christi nomini calumniam pariunt? » (2).

In *Homil. XXI in Epist. I ad Cor.*, Chrysostomus fideles ad eleemosynam largiter dandam hortatur : « Ne hos proferamus obtentus, nec in defensionem nostram conferre putemus quod Ecclesia multa possideat. Cum enim facultatum ejus magnitudinem perspicis, cogita etiam inscriptorum pauperum gregem, infirmorum multitudinem, innumerarum expensarum occasiones : curiose inquire et scrutare : nemo impedit, imo parati sumus ad rationes vobis reddendas... Ecclesia impendere necesse habet, viduarum cœtibus, virginum choris, hospitum adventibus, peregrinantium ærumnis, vinctorum calamitatibus, infirmorum et mutilorum necessitatibus, aliis hujusmodi occasionibus... Nunc enim, ut jam dixi, rationes vobis reddere parati sumus. Si autem secus res se haberet, et si doctores haberetis corruptos, qui omnia raperent et avari essent, neque sic purgatio

(1) N. 3. Ed. Migne, *P. G.*, LXII, coll. 610, 611.
(2) *De Sacerdotio*, lib. III, n. 16. Ed. Migne, *P. G.*, XLVIII, col. 655.

vestra esset eorum nequitia... Nam et Judas apostolus erat; hoc tamen nihil umquam *sacrorum expilatores* et avaros excusabit. Neque poterit quis accusatus dicere : Enimvero apostolus fur erat, *sacrorum expilator* et proditor : sed hoc nos maxime supplicio tradet et damnabit, quod non aliorum malis ad sanam mentem reducti simus » (1).

S. Ambrosius. — Quum magno Ambrosii nomine ii, qui Ecclesiæ in bona temporalia jus proprium atque independens denegant, interdum, atque recenter adhuc (2), abusi fuerint, in doctrinam S. Mediolanensis Episcopi paulo accuratius inquirere, eamque aliquanto latius exponere proponimus. Hoc autem eo ordine peragemus, ut primum mentem Ambrosii de conditione rerum Ecclesiæ temporalium aperiamus, ac dein objectiones ex operibus hujus Patris desumptas diluamus.

1) *Quid senserit Ambrosius de conditione temporalium bonorum Ecclesiæ?*

Luculenter docet Ambrosius :

a) Ecclesiam in bona sua verum firmumque jus habere, quod non magis violari potest ac jus proprietatis cujusvis privati; jus imo quocumque humano jure sanctius, siquidem ipse profitetur :

b) Res Ecclesiæ sacras esse, neque absque sacrilegio rapi posse; atque propterea :

(1) N. 7. Ed. Migne, *P. G.*, LXI, coll. 179, 180.

(2) Cf. præs. *La Belgique judiciaire*, 1889, nn. 31, 34, 36 : *Biens ecclésiastiques. Droits de la nation.* — Cf. quæ in resp. ad prædict. artic. præclare scripsit in eod. periodico cl. de Becker, 1889, nn. 65, 66. — Cf. etiam Mamachi, *Del diritto libero della Chiesa di acquistare et di possedere beni temporali.* 1769, t. II, part. II, pp. 21, sqq.

c) Principem sæcularem qua talem in bona Ecclesiæ nullum prorsus jus habere.

a) *S Ambrosius docet verum, proprium firmissimumque jus Ecclesiæ in res suas competere.* Mentem ipsius inter hos præsertim eventus deprehendimus qui contigerunt quum Imperator Valentinianus II, instigante matre Justina Imperatrice, Arianis addicta, a. 385, ab Ambrosio postulavit ut sive Basilica Portiana extra urbem, sive Basilica Nova in ipsa civitate sita, Arianis traderetur. Quid responsi protulerit Ambrosius audiatur.

« Mandatur denique : Trade Basilicam. Respondeo : Nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere, Imperator, expedit. *Domum privati nullo potes jure temerare, domum Dei existimas auferendam?* (1) ».

« Meministis etiam quod lectum est hodie Nabuthe sanctum virum possessorem vineæ suæ, interpellatum petitione regia, ut vineam suam daret... regem contristatum esse, quod sibi esset *alienum jus relatione justa negatum*, sed muliebri consilio deceptum. Nabuthe vites suas vel proprio cruore defendit. *Si ille vineam non tradidit suam, nos trademus Ecclesiam Christi?* (2) ».

« Cum esset propositum ut Ecclesiæ vasa jam traderemus, hoc responsi reddidi : me, si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod *mei juris esset*, libenter offerre : *templo Dei nihil posse decerpere, nec tradere illud, quod custódiendum, non tradendum acceperim.* Deinde consulere me etiam imperatoris saluti; quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere; accipiat enim vocem

(1) *Epist.* XX, ad Sororem, n. 19. Ed. Migne, *P. L.*, XVI, col. 999.
(2) *Sermo contra Auxentium*, n. 17. Ed. Migne, *P. L.*, XVI, col. 1012.

liberi sacerdotis, si vult sibi esse consultum, *recedat a Christi injuria* (1) ». Eademque habet Ambrosius in *epist. ad Sor.* « Respondi, quod erat ordinis, templum Dei a sacerdote tradi non posse (2) ».

Neque ea tantum occasione facultatum Ecclesiæ inviolabilitatem asserit Ambrosius. Hæ quidem, « perspicaci providentia », in charitatis officia impendi possunt; at secus absque crimine distrahi nequeunt. In lib. II *de officiis ministrorum* scribit S. Episcopus : « Laurentius *qui aurum Ecclesiæ maluit erogare pauperibus, quam persecutori reservare*, pro singulari suæ interpretationis vivacitate sacram martyrii accepit coronam. Numquid dictum est sancto Laurentio : Non debuisti erogare thesauros Ecclesiæ, vasa sacramentorum vendere? Opus est ut quis fide sincera et perspicaci providentia munus hoc impleat. *Sane si in sua aliquis derivat emolumenta, crimen est* : sin vero pauperibus erogat, captivum redimit, misericordia est » (3).

b) *S. Ambrosius docet res Ecclesiæ datas Deo sacratas esse.*

Sacrilegium admittit qui res Ecclesiæ diripit : « Sunt qui opes suas tumultuario mentis impulsu, non judicio perpetuo, ubi Ecclesiæ contulerunt, postea revocandas putarunt : quibus nec prima merces rata est, nec secunda; quia nec prima judicium habuit, *et secunda habuit sacrilegium* » (4).

Aurum quod in captivorum redemptionem profundit

(1) *Sermo contra Auxentium*, n. 5. Ed. Migne, *P. L.*, XVI, coll. 1808, 1009.

(2) N. 2. Ed. Migne, *P. L.*, XVI, col. 994.

(3) Cap. XXVIII, nn. 141, 142. Ed. Migne, *P. L.*, XVI, col. 141.

(4) *De pœnitentia*, lib. II, cap. IX, n. 85. Ed. Migne, *P. L.*, XVI, col. 517.

Ecclesia vere aurum Christi dici meretur : « Quam pulchrum, ut cum agmina captivorum ab Ecclesia redimuntur, dicatur : *Hos Christus redemit!* Ecce aurum quod probari potest, ecce aurum utile, ecce aurum Christi quod a morte liberat » (1).

Quumque conveniretur Ambrosius ut basilicam Arianis traderet : « Absit a me *ut tradam Christi hæreditatem*. Si ille (Nabuthe) patrum hæreditatem non tradidit, *ego tradam Christi hæreditatem?* » (2).

c) *S. Ambrosius docet principem sæcularem nullum jus habere in res Ecclesiæ.*

Quî firmius ac generosius Ecclesiæ independentia affirmari possit?

Quum renueret tradere « Christi hæreditatem », addit : « Respondi ego, quod sacerdotis est : quod imperatoris est, faciat imperator. Prius est ut animam mihi, quam fidem auferat » (3). — « Convenior ipse a comitibus et tribunis, ut basilicæ fieret matura traditio, *dicentibus imperatorem jure suo uti, eo quod in potestate ejus essent omnia*. Respondi, si a me peteret, quod meum esset, id est, fundum meum, argentum meum, quidvis hujusmodi meum, me non refragaturum; quamquam omnia quæ mei sunt, essent pauperum : *verum ea quæ sunt divina, imperatoriæ potestati non esse subjecta*. Si patrimonium petitur, invadite : si corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati est mihi. Non ego vallabor circumfusione populorum, nec altaria

(1) *De officiis Ministrorum*, lib. II, cap. XXVIII, n. 138. Ed. Migne, *P. L.*, XVI, col. 141.

(2) *Sermo contra Auxentium*, n. 18. Ed. Migne, *P. L.*, XVI, col. 1012.

(3) *Ibid.*, col. 1013.

tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratius immolabor » (1).

Ibidemque paulo infra : « Mandatur denique : Trade basilicam... Allegatur imperatori licere omnia, ipsius esse universa . Respondeo : Noli te gravare, Imperator, *ut putes te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere.* Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est : quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. *Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum* » (2). — « Non me, ait Ambrosius, sed Ecclesiam persequuntur » (3). Quomodo autem posset S. Pater jus Ecclesiæ sæculari potestati subjicere, qui ipse Ecclesiæ independentiam maxima auctoritate affirmat : « *Imperator enim intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est* » (4).

Quando a Theodosio postulat ne Christiani ad reparandam synagogam cogantur, patrimonium Ecclesiæ non imperiali favore acquisitum dicit, sed « patrimonium quod favore Christi acquisitum est Christianis » (5).

Deposita Ecclesiæ facta adversus Imperatoris cupiditatem S. Ambrosius constantissime defendit. Ipse ad clericos suos scribit : « Meministis ipsi quoties adversus regales impetus pro viduarum, immo omnium depositis certamen subierimus. Commune hoc vobiscum mihi » (6).

(1) *Epist.* XX, n. 8. Ed. Migne, *P, L.*, XVI, coll. 996, 997.

(2) N. 19. Ed. Migne, *P. L.*, XVI, col. 999.

(3) *Ibid.*, n. 18.

(4) *Sermo contra Auxentium*, n. 36. Ed. Migne, *P. L.* XVI, col. 1018.

(5) *Epist.* XL, n. 10. Ed. Migne, *P. L.* XVI, col. 1105.

(6) *De officiis Ministrorum*, lib. II, cap. XXIX, n. 150. Ed. Migne, *P. L.* XVI, col. 143, 144.

Recensque tunc exemplum profert Ecclesiæ Ticinensis, repetita imperatoris præcepta quibus « non posse obviari ferebant »; sed : « Negatum est : et exposita divinæ legis auctoritate, et serie lectionis, et Heliodori periculo, vix tandem rationem imperator accepit » (1).

Ea denique citabimus quæ Ambrosius de Josepho narrat, qui nempe totam terram Ægypti acquisivit « ut tributum constitueret, præter possessionem tamen sacerdotalem, quam a tributis immunem reservavit; ut apud Ægyptios quoque inviolabilis haberetur religio sacerdotalis » (2).

Hoc nobis jam comparatum videtur ut S. Ambrosius inclytus juris Ecclesiæ assertor atque defensor agnoscatur. Ad objectiones ex ipsius operibus petitas tuto devenire possumus.

2) *Refelluntur objectiones ex operibus S. Ambrosii petitæ.*

a) Primus ac præcipuus qui objicitur locus is est : « Si tributum petit (imperator), non negamus. Agri Ecclesiæ solvunt tributum : si agros desiderat imperator, potestatem habet vindicandorum; nemo nostrum intervenit. Potest pauperibus collatio populi redundare : non faciant de agris invidiam, tollant eos, si libitum est imperatori : non dono, sed non nego » (3).

His verbis defensores « *jurium nationis* » confitentem reum manifestissime deprehendere autumant. Quibus responsum facimus : Citata S. Ambrosii verba utique eo modo explicari non possunt, ut doctrinæ ab

(1) *Ibid.*
(2) *Epist.* XXXVII, n. 11. Ed. Migne, *P. L.* XVI, col. 1086.
(3) *Sermo contra Auxentium*, n. 33. Ed. Migne, *P. L.* XVI, col. 1017.

eo dissertissime propositæ, et quidem in eodem ipso sermone unde desumuntur instantius asseveratæ, manifestissime contradicant. Jamvero, si allatis verbis agnosceret Ambrosius *jus* imperatoris ut bona Ecclesiæ sibi ut sua *legitime* vindicaret, sibi ipsi quam manifestissime contradiceret. Si enim eodem jure denegetur traditio basilicæ ac traditio domus aut fundi cujusque privati, quinimo si quicumque opes suas Ecclesiæ contulerit easque postea iterum occupare velit sacrilegii reus efficiatur, si Christianorum templum ipsius Christi hæreditas sit, si igitur res ad Ecclesiam pertinentes eo ipso sacræ sint, si Ecclesiæ facultates « sumptus sint egenorum » (1) quas postulanti imperatori jure denegaverit S. diaconus Laurentius, verbo, si quæcumque proprii ac privati sacerdotum juris non sint ipsis non imperatori tradenda, sed custodiendia commissa sint, in quæ sæculari potestati, sicuti in Ecclesiam ipsam, jus competat nullum, cum hæc omnia prædicentur et inculcentur, agnoscere tamen imperatorem bona Ecclesiæ sibi jure vindicare posse, plane repugnans est et absurdum.

Is igitur allegati loci sensus esse nequit : et revera, aliter optime, modoque contextæ orationi apprime congruo, explicantur Ambrosii verba (2). Factum Ambrosius respicit, non jus allegat. Ecclesia, in possidendis agris, legibus vectigalia inducentibus se subjicere non renuit. Ecclesiæ bona si velit imperator occupare, id utique, cum ipsi vis armata præsto sit, peragere valet. Ipse Ambrosius, quem modo dicentem audivimus : « Si patrimonium petitur, invadite; si corpus, occurram si a me

(1) *Epist.* XVIII, n. 16. Ed. Migne, *P. L.* XVI, col. 977.
(2) Cf. cl. de Becker, *loc. cit.*; Mamachi, *loc. cit.*

peteret quod meum esset,... me non refragaturum », qui in eodem sermone paulo infra protestabatur : « Quod imperatoris est, faciat imperator. Prius est ut animam mihi, quam fidem auferat » (1), eodem nunc sensu dicit : « Tollant agros, si libitum est imperatori » : an imperatori agnoscat Ambrosius jus patrimonium invadendi aut animam auferendi? Attendendum siquidem est ad eventus circumstantias : ipsam Catholicorum basilicam, sacraque vasa, comites ac tribuni postulabant, hanc tradere Ambrosius constantissime denegat : patrimoninm meum, ait, invadite, meipsum in vincula, in mortem rapite; agros Ecclesiæ tollite, potest pauperibus collatio populi redundare, basilicam autem Arianis non tradam.

Hisce jam compertum est hanc interpretationem verborum Ambrosii, « *potestatem* habet *vindicandorum* (agrorum) », qua contenderetur verbis illis verum *jus* imperatori agnosci, prorsus rejiciendam esse; pauca tantum addemus, ut ostendamus has voces, quæ ab adversariis urgentur, ab Ambrosio sæpius alio sensu adhiberi.

In ipso hujusce sermonis initio, narrat S. Episcopus ab imperatore mandatum esse ut ipse quo vellet abiret hinc, « et si qui vellent, sequendi *potestatem* haberent » (2). Moxque declarat se *vim omnem subire* paratum esse, scilicet « ut si ille faceret, ait, quod solet esse regiæ *potestatis*, ego *subirem* quod sacerdotis esse consuevit » (3). Et eadem ratione infra : « Habemus adversarium qui lacessit... accepit tentandi hujusmodi *potesta-*

(1) Cf. supra, p. 120.
(2) *Sermo contra Auxentium*, n. 1. Ed. Migne, *P. L.*, XVI, col. 1007.
(3) *Ibid.*, col. 1008.

tem » (1), quo sensu et in illo sermone necnon in epistola sæpe cit. *ad Sororem*, idem verbum pluries assumit. In hac tandem epistola, hæc etiam occurrunt : « Habeo arma, sed in Christi nomine ; habeo offerendi mei corporis *potestatem* » (2). Quibus in locis, vocem « potestas » de legitimo quodam exercendo jure unice adhiberi contendi nequit.

Neque meliori successu sensum alterius vocis *(vindicandorum)* quis urgere tentaret. « Horrebam quippe animo, cum armatos ab basilicam Ecclesiæ occupandam missos cognoscerem ; ne dum basilicam *vindicant*, aliqua strages fieret » (3). Et ubi de depositis illis agit Ambrosius quæ imperatori, « exposita divinæ legis auctoritate », denegata sunt, ipse tamen ait : « Interpellante enim eo qui sibi illud imperiali rescripto *vindicare* cupiebat » (4). Ex his igitur vocibus nil erui posse manifestum est.

Quod autem his aliis verbis : « potest pauperibus collatio populi redundare » ii pessime abutantur qui supremum jus Status de fundationibus disponendi (5) agnosci contendant, sola comparatione cum loco proxime cit. *De off. ministr.*, *c. XXIX* uberrime constat. Id unice significat Ambrosius, etiamsi Ecclesiæ agri diripiantur, pauperibus inexhausta fidelium charitate subventum iri.

(1) *Ibid.*, n. 4, col. 1008.
(2) *Epist.* XX, n. 23. Ed. Migne, *P. L.*, XVI, col. 1001.
(3) *Ibid.*, n. 9, col. 997.
(4) *De officiis Ministrorum*, lib. II, cap. XXIX, n. 150. Ed. Migne, *P. L.*, XVI, col. 144. — Cf. supra, pp. 121, sq. — *Ibid.*, n. 146, col. 142 : « Quæ cum Heliodorus ereptum ire vellet, et regis *vindicare* commodis... »
(5) « Il peut, par exemple, si c'est son bon plaisir, appliquer au service de la charité les fondations créées par la nation, *collatio populi*, en faveur du culte. » *Biens eccl., droits de la nation. La Belgique judiciaire*, 1889, n. 31, col. 488.

Ut tandem, si quid adhuc desit, de interpretationis nostræ veritate plenius convincatur, ea animadvertere sufficit quibus Ambrosius statim sermonem prosequitur, enumerando scilicet varia ex quibus ipsius adversarii, sicuti de agris Ecclesiæ, « invidiam faciant », — quod nempe aurum pauperibus erogetur, quod exinde defensionem quærat, quam ipse se quærere agnoscit, sed in orationibus pauperum; quod hymnorum cantu populum decipiat, quibus in ore populi ponit confessionem Trinitatis (1) : quam invidiam in Ambrosium legitime excitari, nemo, ut putamus, existimabit.

b) Quædam adhuc ex Ambrosii operibus allegantur : « Et tu si vis non esse obnoxius Cæsari, noli habere quæ mundi sunt : sed si habes divitias, obnoxius es Cæsari » (2). — « Si enim censum Dei Filius solvit, quis tu tantus es, qui non putes esse solvendum? » (3). Quibus hunc locum adjicere possumus, ex ipso *Sermone contra Auxentium* desumptum, qui forsan difficultatem facesset : « Solvimus quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo. Tributum Cæsaris est, non negatur : Ecclesia Dei est, Cæsari utique non debet addici » (4).

Respondemus imprimis ab his verbis hunc sensum certissime arcendum esse, juxta quem admitteret Ambrosius Ecclesiam, in exercendo jure suo possidendi bona temporalia, sæculari potestati subjici, eamdemque civilem potestatem auctoritate propria jurisdictionem in

(1) *Sermo contra Auxentium*, nn. 33, 34. Ed. Migne, *P.L.* XVI, c. 1017.

(2) *Exposit. Evang. sec. Luc.*, lib. IX, n. 34. Ed. Migne, *P. L.* XV, col. 1802.

(3) *Exposit. Evang. sec. Luc.*, lib. IV, n. 73. Ed. Migne, *P. L.* XV, col. 1634. — Cf. *La Belgique judiciaire*, 1889, n. 31, col. 489.

(4) N. 35. Ed. Migne, *P. L.* XVI, col. 1018.

Ecclesiæ bona exercere. Quod jam de citatis verbis liquet, si modo ad contextum respiciamus.

In eo textu quem ultimo loco retulimus, Ambrosius ipse Cæsaris juribus jura Dei opponit, allatisque verbis præcise subjicit : « Quid enim honorificentius quam ut imperator Ecclesiæ filius esse dicatur? Quod cum dicitur, sine peccato dicitur, cum gratia dicitur. Imperator enim intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est » (1). In *epist. VII* rationem reddit S. Ambrosius cur nec Christus neque Apostoli censum Cæsari solvere debuerint : « Ideo Dominus ait : *Reddite*, id est, vos reddite, qui protulistis imaginem Cæsaris, apud quos invenitur : ego autem nihil debeo Cæsari, quia nihil hujus mundi habeo... Nihil debet Petrus, nihil apostoli mei ; quia *non sunt de hoc mundo*, etsi *in hoc mundo sint*. Ego misi eos in hunc mundum ; sed *jam non sunt de hoc mundo, quia mecum sunt supra mundum*. Ergo quod divinæ legis est, solvi jubetur (didrachmum), non quod Cæsaris » (2). Quî igitur, juxta mentem Ambrosii, et Christi Ecclesia, quæ de hoc mundo non est, etsi in hoc mundo sit, Cæsari obnoxia esse posset? Ideoque superius allegata verba, non quidem Ecclesiæ, sed Christianis in sæculo viventibus applicari debent : de quo nullum remanebit dubium si ad contexta verba attendatur. Ita, *lib. IV :* « Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subjecti ; ne quis constitutionem regis terreni putet esse solvendam. *Si enim censum Dei Filius solvit, quis tu tantus es, qui non putes esse solvendum?* Et ille censum solvit qui nihil possidebat :

(1) *Ibid.*, n. 36. Ed. Migne, *ibid.*
(2) *Epist.* VII, nn. 17, 18. Ed. Migne, *P. L.* XVI, col. 910.

tu autem qui sæculi sequeris lucrum, cur sæculi obsequium non recognoscas? Cur te supra sæculum quadam animi arrogantia feres, *cum sæculo sis misera cupiditate subjectus?* » (1). Neque derelinquendas omnes Ecclesiæ facultates intendebat Ambrosius, quum citatis e *lib. IX* verbis addebat : « Si vis nihil regi debere terreno, relinque omnia tua, et sequere Christum » (2). Denique, ad *Sermonem contra Auxentium* quod attinet, indicat ibi S. Antistes Christianos, Domini exemplo, obedientiæ officia non negligere, legitimamque ab ipso Christo didicisse observare auctoritatem : Christiani quæ Cæsaris sunt ipsi præstant, tributa solvunt ubi Cæsari solvenda, quia tributorum jus ad imperatorem pertinet ; sed neque ipsi quæ Deo debentur negligunt, neque quæ Dei sunt Cæsari addicunt.

S. Augustinus — Juris Ecclesiæ adversarii, prouti Ambrosium sibi in fautorem indubitanter vindicant, ad illustrem « Ambrosii discipulum » eadem fiducia provocant (3). De doctrina S. Ambrosii quid sit dicendum, supra vidimus; ideoque præjudicium quod innuunt ab initio jam meliori jure retorquemus.

1) *Doctrina S. Augustini de jure Ecclesiæ possidendi bona temporalia.*

a) *Origo patrimonii ecclesiastici ab ipso Christo institutore repetenda est :*

« Exemplum Domini accipite conversantis in terra.

(1) *Loco supra indicato.*

(2) *Loco supra indicato.*

(3) De S. Augustino : « Il alla à Milan s'inspirer de sa doctrine (S. Ambrosii)... Aussi comme il s'approprie sa théorie sur le droit éminent du prince à l'égard des biens consacrés au culte ! » (!) *La Belgique judiciaire*, a. 1889, n. 31, col. 489.

Quare habuit loculos cui angeli ministraverunt, nisi quia Ecclesia ipsius loculos suos habitura erat? (1) » Quod et infra, in eodem commentario, ducente evangelicæ narrationis serie, repetit : « Habebat ergo et Dominus loculos... Tunc primum *ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta* » (2).

b) *Res ad Ecclesiam pertinentes eo ipso sacræ sunt, imo Christi ipsius sunt.*

« Ecce audite quia Judas iste non tunc perversus factus est, quando a Judæis corruptus Dominum tradidit. Plerique enim incuriosi Evangelii, existimant tunc periisse Judam, quando accepit a Judæis pecuniam ut Dominum traderet. Non tunc periit, *jam fur erat*, et Dominum perditus sequebatur... Ecce fur est Judas, et, ne contemnas, fur et *sacrilegus*, non qualiscumque fur : fur loculorum, sed *dominicorum;* loculorum, sed *sacrorum.* Si crimina discernuntur in foro, qualiscumque furti et peculatus; peculatus enim dicitur furtum de re publica; et non sic judicatur furtum rei privatæ quomodo publicæ : *quanto vehementius judicandus est fur sacrilegus, qui ausus fuerit non undecumque tollere, sed de Ecclesia tollere? Qui aliquid de Ecclesia furatur, Judæ perdito comparatur* » (3).

S. Augustinus fideles hortatur ut necessitatibus ministrorum Ecclesiæ prospiciant : « Si vultis non esse steriles, ut reddatis pro pluvia fecunditatem, ne damnetur postea sterilitas vestra... efficite ut vos ipsos exi-

(1) *In Joannis Evang.*, tract. L, n. 11. Ed. Migne, *P. L.*, XXXV, col. 1762.

(2) *Ibid.*, tract. LXII, n. 5. Ed. Migne, *loc. cit.*, col. 1803. — Cf. supra, p. 92.

(3) *Ibid.*, tract. L, n. 10. Ed. Migne, *loc. cit.*, coll. 1761, sq.

gatis, efficimini exactores vestri. *Christus tacitus exigit.. Si non habet rempublicam suam Christus, non habet fiscum suum*... Ipsum habebat Dominus hic in terra, quando loculos habebat; et ipsi loculi Judæ erant commissi. Judam traditorem patiebatur Dominus et furem, et in ipso ostendens ubique patientiam suam : tamen illi qui conferebant, in loculos Domini conferebant. Nisi forte putatis, quia Dominus ibat, et petebat, aut indigebat, cui Angeli serviebant, qui de quinque panibus tot millia hominum pavit. Quare ergo egere voluit, nisi ut daret exemplum montibus, ut parerent fenum, ne contra pluviam sterilitatem redderent? Præcidite ergo aliquid, et deputate aliquid fixum » (1).

c) *Ea Ecclesia jure divino res externas possidet quæ vera Christi Ecclesia est.*

In tract. VI *in Joannis Evangelium*, quo de loco fusius mox agemus, S. Augustinus cum Donatista his verbis disputat : « Sed de divino jure ago, ait. Ergo Evangelium recitemus ; videamus *quousque Ecclesia catholica Christi est*, super quem venit columba, quæ docuit, *Hic est qui baptizat* (2) ».

Qui textus adeo manifesti sunt ut cuilibet legenti jam constet, ea quæ in oppositum afferuntur non posse de S. Augustini sententia dubium ingerere, ac nonnisi pro difficultatibus explicandis habenda esse.

2) *Solvuntur objectiones ex Augustino allatæ.*

Ut clarius quæ ex Augustino proponi solent difficultates enucleentur, locum e quo potissimun desumuntur

(1) *Enarratio in Psalm. CXLVI*, n. 17. Ed. Migne, *P. L.*, XXXVII, coll. 1910, sq.

(2) *In Joannis Evang.*, tract. VI, n. 26. Ed. Migne, *P. L.*, XXXV, col. 1437.

ex integro prius referendum videtur. « Modo deficientes ubique (Donatistæ), quid nobis proponunt, non invenientes quid dicant? Villas nostras tulerunt, fundos nostros tulerunt. Proferunt testamenta hominum. Ecce ubi Gaius Seius donavit fundum Ecclesiæ, cui præerat Faustinus. Cujus episcopus erat Faustinus Ecclesiæ? Quid est Ecclesia? Ecclesiæ, dixit, cui præerat Faustinus : sed non Ecclesiæ præerat Faustinus, sed parti præerat. Columba autem Ecclesia est. Quid clamas? Non devoravimus villas, columba illas habeat : quæratur quæ sit columba, et ipsa habeat... Ecce sunt villæ : quo jure defendis villas? divino an humano? Respondeant : Divinum jus in Scripturis habemus, humanum jus in legibus regum. *Unde quisque possidet quod possidet? Nonne jure humano?* Nam jure divino, Domini est terra et plenitudo ejus (*Psal.* XXIII, 1) : pauperes et divites Deus de uno limo fecit, et pauperes et divites una terra supportat. *Jure tamen humano dicit, Hæc villa mea est, hæc domus mea, hic servus meus est. Jure ergo humano, jure imperatorum.* Quare? quia ipsa jura humana per imperatores et reges sæculi Deus distribuit generi humano. Vultis legamus leges imperatorum, et secundum ipsas agamus de villis? Si jure humano vultis possidere, recitemus leges imperatorum : videamus si voluerint aliquid ab hæreticis possideri. *Sed quid mihi est imperator? Secundum jus ipsius possides terram. Aut tolle jura imperatorum, et quis audet dicere : Mea est illa villa, aut meus est ille servus, aut domus hæc mea est?* Si autem ut teneantur ista ab hominibus, jura acceperunt regum, vultis recitemus leges, ut gaudeatis quia vel unum hortum habetis, et non imputetis nisi mansuetudini columbæ, quia vel ibi vobis permittitur per-

manere? Leguntur enim leges manifestæ, ubi præceperunt imperatores, eos qui præter Ecclesiæ catholicæ communionem usurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere. Sed quid nobis et imperatori? Sed jam dixi, de jure humano agitur. Et tamen Apostolus voluit serviri regibus, voluit honorari reges, et dixit : *Regem reveremini* (I *Petr.* II, 17). *Noli dicere : Quid mihi et regi? Quid tibi ergo et possessioni? Per jura regum possidentur possessiones. Dixisti, Quid mihi et regi? Noli dicere possessiones tuas; quia ad ipsa jura humana renuntiasti, quibus possidentur possessiones.* Sed de divino jure ago, ait. Ergo Evangelium recitemus; videamus quo usque Ecclesia catholica Christi est, super quem venit columba, quæ docuit, *Hic est qui baptizat.* Quomodo ergo jure divino possideat, qui dicit, Ego baptizo; cum dicat columba, *Hic est qui baptizat;* cum dicat scriptura, *Una est columba mea, una est matri suæ*? Quare laniastis columbam? Imo laniastis viscera vestra : nam vobis laniatis, columba integra perseverat. Ergo, fratres mei, si ubique non habent quod dicant, ego dico quod faciant : veniant ad Catholicam, et nobiscum habebunt non solum terram, sed etiam illum qui fecit cælum et terram » (1).

Hæc igitur ab Augustino adversus Donatistas proferuntur; ex his vero verba quædam, neglecta sermonis serie, desumuntur, ut exinde concludatur « supremum jus principis in res Ecclesiæ » a S. Doctore agnitum esse.

Utrum imprimis ea mens S. Augustino fuerit ut fun-

(1) *In Joannis Evang.*, tract. VI, nn. 25, sq. Ed. Migne, *P. L.*, XXXV, coll. 1436, sq.

damentum omne juris proprietatis in lege principis civilis reponendum sit : doctrinam adeo absurdam, nec ab adversariis admissam, juxta quam nempe nonnisi vi legis civilis homo in fructum laboris sui jus haberet, et quidquid statuerit lex illa eo ipso justum esset, quidquid ab aliquo abstulerit eo ipso ad jus illius pertinere desineret, hujusmodi, inquam, doctrinam a S. Augustino propugnatam non fuisse quisque facile suspicabitur.

Ut autem de hoc plane constet, jam satis fit si ad ea provocemus quæ ab Augustino ad Alypium in causa Honorati presbyteri rescripta sunt (1). Quum enim Honoratus in monasterio Thagastensi monachus fuisset, ad hoc quidem monasterium bona ipsius pertinere debuissent ; ea tamen expostulabant fideles Thiavenses, cujus ecclesiæ Honoratus presbyter obierat. S. Augustinus initio quidem sententiam Alypii approbasse videtur, secundum quam dimidia pars bonorum utrique litiganti parti addicenda esset; in hac tamen epistola LXXXIII priorem sententiam mutat, decernitque ita fidelibus illis recenter conversis consulendum esse. ut apertissime intelligant episcopos nullatenus in talibus causis de pecunia satagere, « quod, ait, nullo modo intellecturi sunt, nisi illam rem quam semper presbyteri esse putaverunt, eorum usibus relinquamus; quia etsi ejus non erat, hoc ab initio scire debuerant » (2). Quare hanc regulam proponit, ut ea de re juxta civiles leges statuatur : « Ea jura eis (bonis) servare oportet, quæ talibus habendis vel non habendis *secundum civilem societatem* sunt instituta ; ut *ab omni non solum re, sed etiam specie*

(1) *Epist.*, LXXXIII. Ed. Migne, *P. L.*, XXXIII, coll. 291, sqq.
(2) *Loc. cit.*, n. 3. *Ibid.*, col. 292.

maligna, quantum possumus, nos abstineamus, et bonam famam custodiamus, dispensationi nostræ multum necessariam » (1). Cum nimirum Honoratus ipse, in monasterio constitutus, bona sua non vendiderit nec per manifestam donationem in quempiam transtulerit, bona illa, juxta legem civilem, ita ipsius erant ut, si in monasterio mortuus esset, hæredes ejus horum bonorum successionem excipere debuissent; ideoque Augustinus bona ab Honorato relicta Thiavensibus addicit. Quam sententiam his verbis ulterius vindicat : « Si forte illic (Thagastæ) illud (quod nempe primitus visum fuerat) justum apertissime pervides, non cogantur infirmi modo discere quod ego nondum intelligo, ut hoc circa eos in hac causa servetur quod Dominus ait : *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo (Joan.*, XVI, 12). Tali quippe infirmitati parcens, etiam illud de tributo solvendo, ait, *Ergo liberi sunt filii; sed ne scandalizemus eos,* et cætera, quando Petrum misit, ut didrachmas quæ tunc exigebantur solverent *(Matth.*, XVII, 26). Noverat enim aliud jus, quo nihil tale debebat ; sed *eo jure tributum ei ille solvebat, quo jure diximus hæredem presbyteri Honorati successurum fuisse, si antequam rem suam vel donaret, vel venderet, moreretur* » (2).

Advertatur denique in hac ipsa causa Honorati de bonis agi a presbytero relictis, de quibus litem agebant ex una parte monasterium Thagastense, ex alia vero ecclesia Thiavensis. Cæterum, quod in specie ad Eccle-

(1) *Loc. cit.*, n. 4. *Ibid.*, col. 293.

(2) *Loc. cit.*, n. 5. *Ibid.*, col. 293. Conferri potest *epist.* CLIII, n. 25. Ed. MIGNE, *P. L.*, XXXIII, coll. 664, 665.

siam spectat, textus supra citati evidenter ostendunt jus Ecclesiæ, juxta S. Augustinum, nequaquam a lege civili, sed ab ipso Christo repetendum esse.

Quanam igitur ratione verba superius allegata explicanda sunt?

Res quidem terrenas quascumque condidit Deus in usum et utilitatem hominum; quæ tamen omnes ad absolutum essentialeque Dei dominium pertinent, juxta illud Psalmistæ ab Augustino relatum : « Domini est terra et plenitudo ejus » (1). Res illas Deus hominibus possidendas dedit (2) : quod utique non ita accipiendum est quasi Deus ipse partem bonorum ab unoquoque possidendam positive determinaverit, ideoque de divino jure sit ut hi divites sint, pauperes illi: sed Deus, qui « pauperes et divites de uno limo fecit » (3), facultates temporales ita hominibus in communi concessit ut earum procurationem ac distributionem ipsis commendaverit (4). Hanc vero bonorum divisionem, hominibus moraliter necessariam, illius auctoritatis est in societate ordinare atque sancire cui ipso naturæ jure societatis tuitio atque gubernatio committitur, adeoque eorum per quos « jura humana... Deus distribuit generi humano » (5). Neque hæc diversa se invicem ullatenus excludunt, jus nempe acquirendi proprietatem in ipsa hominis natura fundari, bonorum divisionem in præsenti hominis conditione necessariam esse, simulque determinatæ rei appropriationem a pu-

(1) *In Joannis Evang.*, tract. VI, n. 25. Ed. Migne, *P. L.*, XXXV, col. 1437.

(2) *In Psal.* XLIX, v. 10. Ed. Migne, *P. L.*, XXXVI, col. 576.

(3) *In Joannis Evang.*, *loc. cit.* Ed. Migne, *P. L.*, XXXV, col. 1437.

(4) *In Psal.* XLIX, v. 10. Ed. Migne, *P. L.*, XXXVI, col. 576.

(5) *In Joannis Evang.*, *loc. cit.* Ed. Migne, *P. L.*, XXXV, col. 1437.

blica societatis auctoritate in commune bonum moderandam atque regendam esse. Sicque aliquo sensu dici potest unumquemque secundum jus imperatorum terram suam possidere, atque de re aliqua pronuntiare : « Hæc villa mea est, hæc domus mea » (1); quin tamen ipsius proprietatis fundamentum in civili lege reponatur, neque ab arbitrio principis pendeat ut eæ circa rerum proprietatem leges edantur quibus etiam naturalia civium jura pessumdentur.

Ea igitur est argumentatio S. Augustini contra Donatistas. Exprobrantibus illis bona ipsorum sectæ Ecclesiæ catholicæ addicta fuisse, Augustinus, *ad hominem* argumentando, reponit : Quonam jure decertare vultis? An *humano?* Non utique ad eas leges provocabitis quæ bona temporalia a vobis « nomine Ecclesiæ » (2), quatenus scilicet hæretica secta vestra Ecclesiæ opponitur (3), possideri prohibuerunt. Et tamen, res ita ab ipso Deo, auctore naturæ, ordinatæ sunt, ut terrenorum principum sit hominum jura in commune societatis bonum, regere, determinare ac sancire. Quanam ergo fronte, si regum auctoritatem respuatis, modos illos appellatis in bonorum transmissione vel possessione a publica potestate determinatos vel approbatos? Donatistæ, jus imperatorum

(1) *Ibid.*
(2) *Ibid.*
(3) Hanc suam mentem apertissime explanat S. AUGUSTINUS : « Quisquis ex occasione hujus legis, quam reges terræ Christo servientes, ad emendandam vestram impietatem promulgaverunt, *res proprias vestras* cupide appetit, displicet nobis. Quisquis denique *ipsas res pauperum, vel basilicas congregationum, quas sub nomine Ecclesiæ tenebatis, quæ omnino non debentur nisi ei Ecclesiæ quæ vera Christi Ecclesia est*, non per justitiam, sed per avaritiam tenet, displicet nobis. » *Epist.* XCII, cap. XII, n. 50. Ed. MIGNE, *P. L.*, XXXIII, col. 345. Cf. *Epist.* CLXXXV, cap. IX, n. 36. Ed. MIGNE, *P. L.*, XXXIII, col. 809.

rejiciendo, eo ipso jus illud repudiant cujus ordinatione bonorum portionem acquisivisse contendunt (1).

Pergit vero S. Doctor : An forsan *divino* jure concertare proponitis? Sed tunc illud unice quærendum est, quænam nempe sit vera Christi Ecclesia. Hanc autem disertissime testatur Augustinus res suas jure non mere humano, sed altiori possidere, ipso scilicet divino jure quo existit.

Prudentius Aurelius. — Prudentii carmina S. diaconi Laurentii memoriam celebrant. Postquam narravit ipse res Ecclesiæ Laurentio creditas fuisse : « Hic primus e septem viris Qui stant ad aram proximi, Levita sublimis gradu Et cæteris præstantior, — Claustris sacrorum præerat, Cœlestis arcanum domus Fidis gubernans clavibus, Votasque dispensans opes » (2), has voces in ore S. Martyris ponit : « Dum tota digestim mihi *Christi supellex* scribitur » (3).

S. Hieronymus. — De natura juris Ecclesiæ ejusque bonorum charactere non uno in loco mentem suam Hieronymus patefacit. Ad Nepotianum ipse scribit : « Amico quippiam rapere, furtum est : *Ecclesiam fraudare, sacrilegium est*. Accepisse quod pauperibus erogandum est, et esurientibus plurimis, vel cautum esse velle, vel timidum; aut *quod apertissimi sceleris est*, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelita-

(1) Hoc utique loco totus est Augustinus in urgenda regum auctoritate, quam Donatistæ spernebant; quod in hujusmodi scriptis polemicis attendendum est.

(2) *Peri Stephanôn*, II, 37-44. Ed. Migne, *P. L.*, LX, col. 293.

(3) *Loc. cit.*, 129, 130. *Ibid.*, col. 305.

tem superat » (1). Et ad Paulinum, de bonis Deo dicatis his loquitur verbis : « Memento Ananiæ et Sapphiræ. Illi sua timide servaverunt; tu considera ne *Christi substantiam* imprudenter effundas » (2).

In *Commentar. in Matth.*, de principibus sacerdotum ac senioribus disserendo qui post Domini resurrectionem militibus pecuniam dederunt ut hi corpus Christi a discipulis sublatum esse ementirentur, Hieronymus hac occasione eos etiam carpit qui rebus Ecclesiæ abutuntur : « Illi qui debuerant converti ad pœnitentiam, et Jesum quærere resurgentem, perseverant in malitia, et pecuniam quæ ad usus templi data fuerat, vertunt in redemptionem mendacii, sicut antea triginta argenteos dederant Judæ proditori. Omnes igitur qui stipe templi, et his quæ conferuntur ad usus Ecclesiæ abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt scribarum et sacerdotum, redimentium mendacium, et Salvatoris sanguinem » (3).

Ipseque paulo infra eorundem Scribarum ac Pharisæorum hypocrisim retuderat, utpote qui sanguinem quidem effundere non vererentur, pretium vero sanguinis « in corbonam, hoc est, in gazophilacium et *dona Dei* » mittere noluerint (4).

S. Gregorius Magnus. — Præclari S. Pontificis judicio, si, cui res ad Ecclesiam pertinentes commissæ sint,

(1) Epist. LII, n. 16. Ed. Migne, *P. L.*, XXII, col. 539.
(2) Epist. LVIII, n. 7. Ed. Migne, *P. L.*, XXII, col. 584.
(3) *Comment. in Matt.*, lib. IV, in cap. XXVIII, v. 12. Ed. Migne, *P. L.*, XXVI, col. 226.
(4) *Ibid.*, lib. IV, in cap. XXVII, v. 6. Ed. Migne, *P. L.*, XXVI, col. 213.

ipse, Ecclesiæ « non rector sed inimicus potius » existens, abstulerit suisve commodis applicaverit, id « *mente sacrilega* » perfecisse denuntiatur (1).

Bona Ecclesiæ relicta S. Gregorius, ad Savinum subdiaconum scribendo, vindicat : « Quia vero comperimus duas uncias substantiæ suæ prædictum testatorem ecclesiæ sancti Georgii, ubi sepeliri voluit, legavisse, curæ tuæ sit ut easdem duas uncias, si necdum completæ sunt, prædicto loco modis omnibus vindicare debeas, ut piæ voluntatis intentio, etiam invita hærede, ad effectum per omnia perducatur, nec in hac re amplius differri quæ relata sunt patiaris. Nam *sacrilegium et contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis studiis, suis tentaverit compendiis retinere* » (2).

§ 3. *Doctrina contenta in actis Summorum Pontificum ac Conciliorum de jure Ecclesiæ acquirendi et possidendi bona temporalia.*

Ecclesiæ doctrinam addiscere cupienti, quid luculentius ac tutius præberi possit quam illa doctrina quæ in Pontificum atque Conciliorum decretis et constitutionibus splendide innotescat? Testantur enim præstantissima illa documenta eamdem Ecclesiæ fuisse de jure suo proprio atque libero, quibusvis historiæ suæ temporibus, apertam mentem expressamque doctrinam.

Hæc autem ecclesiastica monumenta, quod ad rem nostram attinet, si ad eorum objectum respiciatur, in

(1) *Epistolarum* lib. X, epist. I. Ed. Migne, *P. L.*, LXXVII, col. 1065, sq.
(2) *Ibid.* epist. V. Ed. Migne, *P. L.*, LXXVII, col. 1070.

duplicem classem apte jam distribueris, quatenus sive principium ipsum juris Ecclesiæ divinitus concessi reperiatur explicite declaratum, cujus idcirco juris violatio pro sacrilega damnetur; sive principium illud habeatur implicite agnitum, statutis legibus quibus Ecclesia jus liberæ bonorum suorum administrationis exercuerit (1). Cujus utriusque decretorum speciei quædam, inter ea quæ apertius ad scopum nostrum faciant, citabimus; non enim ea omnia quæ hac in re prolata sunt congerere proponimus, quod nec necessarium esset, quum ecclesiasticæ proprietatis historiam terere non intendamus, nec hujus nostri operis limitibus permitteretur; sed illa tantum colligemus quibus eam semper fuisse, quam diximus, Ecclesiæ doctrinam, manifestissime ostendatur.

Traditionem Ecclesiæ prius exhibebimus quæ in Conciliis particularibus exprimitur; ad doctrinam Conciliorum generalium et ad decreta Pontificum dein deveniemus.

I. *Ex decretis Conciliorum particularium.*

De bonis Ecclesiæ, quæ, juxta *Canones Apostolorum*, *ab episcopo et quidem* « *velut Deo contemplante*, ὡς Θεοῦ ἐφορῶντος » (2), administrari debent, utpote quæ *Dei* sint, « τὰ τοῦ Θεοῦ » (3), seu « *res dominicæ*, τὰ κυριακὰ » (4), in quibus « justum est *apud Deum et homines*, παρὰ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις » (5) ut Ecclesia detrimentum non patiatur, de bonis illis antiquissima jam Concilia sollicite decernunt.

(1) Cf. cl. de Becker, *La propriété ecclésiastique et l'œuvre de la Constituante en* 1789. Bruxelles, 1889, p. 13, sqq.; 21, sqq.

(2) Can., ex recensione Dionysii Exigui, XXXIX. Ap. Harduinum, *Acta Concil.*, I, col. 37. Cf. textus gr., *ibid.*, col. 17.

(3) *Ibid.*

(4) Can. XL. Hard., coll. 37, 20.

(5) *Ibid.*

Bonorum Ecclesiæ conservationi prospicit hoc statuto Concilium Ancyranum (314) : « Si qua *de rebus Ecclesiæ* cum episcopus non est, presbyteri vendiderint; placuit, rescisso contractu, *ad jus ecclesiasticum revocari* » (1).

Conc. Gangrense (circa medium sæc. IV) (2) de rebus Ecclesiæ oblatis sequentia disponit : « Si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere, vel dare voluerit, *præter conscientiam Episcopi, vel ejus, cui hujuscemodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere concilio,* anathema sit » (3). « Si quis dederit, vel acceperit oblata *præter episcopum, vel eum qui constitutus est ab eo, ad dispensandam misericordiam pauperibus;* et qui dat, et qui accipit, anathema sit » (4).

Conc. Antiochenum (341), *in enceniis* dictum, inter celebres illos XXV canones, plura de temporalibus Ecclesiæ rebus habet. Can. XXIV : « Quæ sunt Ecclesiæ, sub omni solicitudine, et conscientia bona, et fide, quæ in Deum est, qui cuncta considerat judicatque, serventur : quæ etiam disponenda sunt judicio et potestate pontificis, cui commissus est populus, et animæ quæ in Ecclesia congregantur »... Can. XXV : « Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem, ad dispensandum erga omnes qui indigent, cum summa reverentia et timore Dei. Participet autem et ipse quibus indiget, si tamen indiget... Quod si contentus istis minime fuerit, convertat autem res Ecclesiæ in suos usus domesticos, et

(1) Can. XV. Hard., I, col. 277.

(2) Cf. Héfélé, *Histoire des Conciles*, trad. Goschler et Delarc. Paris, 1869, II, p. 168, sqq. — Illud Concilium ad finem sæc. IV remittit Ceillier, *Hist. gén. des auteurs sacrés*. Paris, éd. Vivès, 1859, III, p. 514.

(3) Can. VII. Hard., I, col. 535.

(4) Can. VIII. *Ibid.* — Cf. Héfélé, *loc. cit.*, II, pp. 174, 175.

ejus (Ecclesiæ) commoda vel agrorum fructus, non cum presbyterorum conscientia diaconorumque pertractet; sed horum potestatem domesticis suis, aut propinquis, aut fratribus, filiisque committat... synodo provinciæ pœnas iste persolvat. Si autem et aliter accusetur episcopus, aut presbyteri qui cum ipso sunt, quod ea quæ pertinent ad ecclesiam, vel ex agris, vel ex alia qualibet ecclesiastica facultate sibimet usurpent... et hos oportet corrigi, sancta synodo id quod condecet approbante » (1).

In canone sub n. XLIX Concilio Carthaginensi III (397) adscripto (2), qui XXXII[us] est *Codicis canonum Ecclesiæ Africanæ* (3), atque *Concilii Carthaginensis XVI* (vel XVII-419) esse videtur (4) res Ecclesiæ *res dominicæ* vocantur, quarum invasio crimen esse pronuntiatur. Item, inter antiquos illos canones, qui tamen erronee Conc. Carthaginensi IV (398) tribuuntur (5), præcipitur, can. XXXI, res Ecclesiæ « servari *quia res sacratæ Deo esse noscuntur* » (6).

Explicita sunt verba Concilii Vasensis (Vaison-442) : « *Qui oblationes defunctorum fidelium detinent, et ecclesiis tradere demorantur*, ut infideles sunt ab ecclesia abjiciendi : quia usque ad exinanitionem fidei pervenire certum est hanc divinæ pietatis exacerbationem : qua et

(1) Hard., I, coll. 604, 605; de canonibus Antiochenis cf. Héfélé, *loc. cit.*, I, pp. 496-505.

(2) Hard. I, col. 968. — Colet., *Concilia*, II, col. 1410.

(3) Hard , I, col. 879. — Colet , II, coll. 1276, 1277. — Cf. Héfélé, *loc. cit.*, II, pp. 303-310.

(4) Héfélé, *loc. cit.*, pp. 305, 306.

(5) *Ibid.*, *loc. cit.*, II, pp. 250-254.

(6) Hard. I, col. 981. — Colet., II, col. 1440. — Cf. præterea, *Cod. can. eccl. Africanæ*, can. XXVI (e synodo Carthag. anni 401. — Héfélé, *loc. cit.*, p. 305), can. XXXIII (e synodo Carthag. anni 419. — Héfélé, *loc. cit.*, p. 306).

fideles de corpore recedentes votorum suorum plenitudine, pauperes collatu alimoniæ et necessaria sustentatione fraudantur. Hi enim tales, quasi egentium necatores, nec credentes judicium Dei habendi sunt. Unde et quidam Patrum hoc scriptis suis inseruit congruente sententia, qua ait : *Amico quippiam rapere, furtum est : ecclesiam fraudare, sacrilegium* » (1). Quod decretum memorat Conc. Arelatense II (452), can. XLVII (2).

Plura sub Symmacho Pont. (498-514) « de rebus ecclesiæ conservandis » magna fuerunt auctoritate præscripta. In Synodo Romana a. 502, quum perlectum esset statutum a Basilio laico ac prætorii præfecto, regisque Odoacris vices agente, sub pontificatu S. Simplicii (467-483) latum, quo statuto prohiberetur inter alia *ne quid omnino bonorum Ecclesiæ alienetur*, interposita in eodem anathematis actusque nullitatis pæna, « Sancta Synodus dixit : Liquet secundum prosecutionem venerabilium fratrum nostrorum, Laurentii, Petri.., nec apud nos incertum habetur, *hanc ipsam scripturam nullius esse momenti;* quam, etiam si aliqua posset subsistere ratione, modis omnibus in synodali conventu provida beatitudinis vestræ sententia *enervari conveniebat, et in irritum deduci : nec in exemplum remaneret præsumendi quibuslibet laicis, quamvis religiosis vel potentibus, in quacumque civitate quolibet modo aliquid decernere de ecclesiasticis facultatibus, quarum solis sacerdotibus disponendi indiscusse a Deo cura commissa docetur* » (3). His autem pergitur verbis : « Symmachus

(1) Can. IV. Hard. I, col. 1788. — Cf. Héfélé, *loc. cit.*, II, p. 482.
(2) Hard. II, col. 777.
(3) Hard., II, coll. 976-979.

episcopus dixit : Modo, quia Deus præsentiam vestram votivam mihi sub qualibet occasione concessit, volo (si placet) rem fieri firmam, quam credo ecclesiasticis facultatibus convenire, ut agnoscant omnes.. nihil me magis studere, quam ut salvum esse possit *quod mihi est a Deo sub dispensatione commissum;* sed et quibuslibet successoribus Deum timentibus, gratum esse debeat, et *ad ecclesiastici custodiam patrimonii pertinere.* Sancta Synodus dixit : Scimus provisionem vestram necessariis studere, et ideo in vestra est potestate sequenda disponere. Symmachus episcopus ecclesiæ catholicæ urbis Romæ dixit : ... His ergo perpensis,.. sancimus, ut nulli Apostolicæ sedis præsuli, a præsenti die.. liceat prædium rusticum, quantæcumque fuerit vel magnitudinis, vel exiguitatis, sub perpetua alienatione vel communicatione ad cujuslibet jura transferre. Nec cujusquam excusentur necessitatis obtentu : quippe cum non sit personale, quod loquimur : nec aliquis clericorum vel laicorum sub hac occasione accepta tueatur..» Quam legem Pontifex et ad Romanos presbyteros extendit « quia nefas dictu est, obligatione, qua se per caritatem Christi connectit summus Pontifex, ea hominem secundi in ecclesia ordinis non teneri. » Hæc vero in eos, qui alienare tentaverint, pœna fertur, ut « donator, alienator, ac venditor, honoris sui amissione mulctetur », atque præterea statuitur ut « qui petierit, aut acceperit, vel qui presbyterorum, aut diaconorum, seu defensorum danti subscripserit, *quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur* »; tandemque « liceat quibuscumque ecclesiasticis personis vocem contradictionis afferre, et ecclesiastica auctoritate fulciri, ita ut cum fructibus possit alienata reposcere : *nec aliquo se ante tribunal*

Christi obstaculo muniat, qui a religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta, contra fas sine aliqua pietatis consideratione dispergit » (1).

Concilium Agathense (Agde-506) patrimonii ecclesiastici incolumitati sedulo prospicit (2).

Conc. Aurelianense I (511) decernit ne « si episcopus humanitatis intuitu, vineolas vel terrulas clericis vel monachis præstiterit excolendas, vel pro tempore tenendas; *etiamsi longa transisse annorum spatia comprobentur*, nullum ecclesia præjudicium patiatur; *nec sæculari lege præscriptio, quæ ecclesiæ aliquid impediat, opponatur* » (3).

Conc. Toletanum II (531 vel probabilius 527) : « Si quis sane clericorum agellos, vel vineolas *in terris Ecclesiæ* sibi fecisse probatur, sustentandæ vitæ causa, usque ad diem obitus sui possideat : verum post suum de hac luce decessum, *juxta priorum canonum constitutiones, jus suum Ecclesiæ sanctæ restituat* » (4).

Conc. Arvernense I (Clermont, Auvergne-535) : « *Qui reiculam Ecclesiæ petunt a regibus, et horrendæ cupiditatis impulsu egentium substantiam rapiunt, irrita habeantur quæ obtinent; et a communione Ecclesiæ, cujus facultatem auferre cupiunt, excludantur* » (5).

(1) Hard. II, coll. 979, 980. }De synodis, sub Symmacho P. habitis Cf. Héfélé, *loc. cit.*, III, pp. 237-253.

(2) Can. XXXIII. Hard. II, coll. 1001, 1002. — Héfélé, *loc. cit.*, III, p. 260. — C. 34, causa XII, q. 2., 1048, VII. — Cff. etiam Conc. Epaonense (517), can. XVII. Hard. II, coll. 1049. — Conc. Valentinum (524), can. III. Hard. II, col. 1608. Circa ult., cf. Héfélé, *loc. cit* , pp. 313, 314.

(3) Can. XXIII. Hard. II, col. 1011. — C. 12, causa XVI, q. 3. Cf. Héfélé, *l. c.*, III, pp. 265, 269.

(4) Can. IV. Hard. II, col. 1140. Héfélé, *loc. cit.*, III, pp. 325, 326.

(5) Can. V. Hard. II, col. 1181. Héfélé, *loc. cit.*, III, pp. 365, 366.

Conc. Aurelianense III (538) de ecclesiasticis facultatibus non alienandis « priorum canonum statuta » servanda præscribit et urget (1); eum qui res Ecclesiæ « horrendæ cupiditatis instinctu occupaverit », nisi restituat, a communione ecclesiastica suspendit. « Cui etiam, inquit, sententiæ subjacebit, quisquis ille quolibet ordine, quod pro devotione sua ecclesiis dedit, revocare præsumpserit » (2).

Conc. Aurelianense IV (541) : « Si quis clericus aut laicus *sub potentum nomine atque patrocinio res ad jus Ecclesiæ pertinentes, contempto pontifice, petere seu possidere præsumpserit* », admonitusque « in pervasionis pertinacitate » substiterit, « tamdiu ab Ecclesiæ limitibus arceatur, donec cum satisfactione justissima pervasa aut occupata restituat » (3).

In Conc. Aurelianensi V (549), de eo qui res Ecclesiæ alienaverit vel subtraxerit, statuitur ut « *quisquis fecerit, tanquam necator pauperum* antiquorum canonum sententiis constrictus, ab ecclesiæ liminibus excludatur, quamdiu ab ipso ea quæ sunt ablata vel retenta reddantur » (4).

Res Ecclesiæ, in Conc. Parisiensi III (557-seu saltem non ante 556) constanter « *res Dei* » appellantur; ibidemque, in can. I, legitur : « Quicumque immemor interitus sui, res Ecclesiæ, ut supra diximus, delegatas injuste possidens, præsumpserit retinere; et veritate comperta, *rei Dei* servis ejus dissimulaverit reformare; ab omnibus ecclesiis segregatus, a sancta communione

(1) Can. XII. Hard. II, coll. 1425, 1426.
(2) Can. XXII. Hard. II, col. 1427. Héfélé, *loc. cit.*, III, p. 379.
(3) Can. XXV. Hard. II, col. 1439, Héfélé, *loc. cit.*, III, p. 385.
(4) Can. XIII. Hard. II, col. 1446, Héfélé, *loc. cit.*, III, p. 543.

habeatur extraneus » (1). Et in can. II : « Perpetuo enim anathemate feriatur, qui res Ecclesiæ confiscare, aut competere, aut pervadere periculosa infestatione præsumpserit » (2).

Conc. Lugdunense II (567) : « Quia multæ tergiversationes infidelium ecclesiam quærunt collatis privare donariis, id convenit inviolabiliter observari : ut testamenta, quæ episcopi, presbyteri, seu inferioris ordinis clerici, vel donationes, aut quæcumque instrumenta propria voluntate confecerint, quibus aliquid Ecclesiæ, aut quibuscumque conferre videantur, omni stabilitate subsistant. Id specialiter statuentes, ut etiamsi quorumcumque religiosorum voluntas, aut necessitate, aut simplicitate, *aliquid a legum sæcularium ordine visa fuerit discrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconcussa manere, et in omnibus Deo propitio custodiri*. De quibus rebus si quis *animæ suæ contemptor* aliquid alienare præsumpserit, usque ad emendationis suæ, vel restitutionis rei ablatæ tempus, a consortio ecclesiastico, vel omnium Christianorum convivio habeatur alienus » (3).

Concilium Turonense II (567) pervasorem bonorum Ecclesiæ, qui ter admonitus non resipuerit, eidem addicit maledictioni « *quæ super Judam venit, qui dum loculos faceret, subtrahebat pauperum alimenta* : ut non solum excommunicatus, sed etiam anathematizatus moriatur, et cœlesti gladio feriatur, *qui in despectu Dei, et ecclesiæ, et pontificum*, in hac pervasione præsumit assurgere » (4).

(1) Hard. III, col. 337.
(2) Hard. III, col. 338. — Héfélé, *loc. cit.*, III, p. 552.
(3) Can. II. Hard. III, col. 354. Héfélé, *loc. cit.*, III, p. 561.
(4) Can. XXIV. Hard. III, coll. 365, 366. — Cf. can. XXV, col. 366. Héfélé, *loc. cit.*, III, pp. 562, sqq.

Conc. Matisconense I (581) statuit « ut qui oblationes fidelium defunctorum, quæ ecclesiis conferuntur, retinent, *veluti retentatores ecclesiæ, aut egentium necatores, ab ecclesiæ liminibus arceantur* » (1).

Quum a. 584 peteret rex Guntramnus ut confirmarentur donationes ab ipso, vel ab uxore sua, vel a filiabus suis factæ aut etiam faciendæ, Conc. Valentinum II sequentia statuit : « Unanimi consensu, Deo medio, synodus sancta decrevit ut si quid basilicæ Sancti Marcelli vel Sancti Symphoriani, vel quibuscumque locis vel servientibus Deo per quascumque auctoritates, vel scripturarum epistolas, præfatus dominus rex, vel supra nuncupata jugalis sua, et filiæ eorum, sive in ministerio altariorum, sive in quibuscumque speciebus, quæ ad divinum cultum pertinere noscuntur, contulisse vel adhuc conferre voluerint, neque episcopi locorum, *neque potestas regia quocumque tempore successura, de eorum voluntate quidquam minorare, aut auferre præsumat*. Quod si quis hoc quocumque tempore temerare, aut auferre præsumpserit, veluti necator pauperum, anathemate perpetui judicii divini plectatur ; et *veluti sacrilegii perpetrator*, criminis sui reus, supplicii æterni teneatur obnoxius » (2).

Concil. nationale Toletanum IV (633) edicit : « Noverint autem conditores basilicarum in rebus quas eisdem ecclesiis conferunt, nullam potestatem habere ; sed juxta canonum instituta, *sicut ecclesiam, ita et dotem ejus ad ordinationem episcopi pertinere* » (3).

(1) Can. IV. Hard. III, col. 452. Héfélé, *loc. cit.*, III, p. 576.
(2) Hard. III, col. 457. Héfélé, *loc. cit.*, III, p. 579.
(3) Capit. XXXIII. Hard. III, col. 587. Héfélé, *loc. cit.*, III, p. 619.

Conc. Cabilonense (circ. 650) sæculares a regendis rebus parochiarum excludit (1); idemque Concilium circa oratoria « per villas potentum... constructa et facultates ibidem collatas », quum illi quorum villæ essent episcopis contradicerent, statuit *in episcopi potestate esse* « et de ordinatione clericorum, *et de facultate ibidem collata* », qualiter hæc deberet adhiberi, decernere (2).

Plura quidem, ne longior hæc evadat canonum series, a variis Conciliis statuta de religiosa cura rebus Ecclesiæ impendenda prætermittimus (3). Dicuntur illæ, in Conc. Bracarensi III (675), « *res dominicæ, res divinæ* » (4). Et, ut quædam modo referamus ex eis quæ explicitiorem juris declarationem exhibeant : in can. II Conc. Liptinensis (prob. 745), quo Carolomanno, Francorum principi, concessum fuit ut, cum magna imminerent ex variis hostibus pericula, militares commendæ ex Ecclesiæ bonis erigerentur, jura Ecclesiæ manifesto declarantur : « Statuimus quoque, *cum consilio servorum Dei* et populi Christiani, propter imminentia bella, et persecutiones ceterarum gentium, quæ in circuitu nostro sunt, ut *sub precario et censu aliquam partem ecclesialis pecuniæ* in adjutorium exercitus nostri, cum indulgentia Dei, *aliquanto tempore* retineamus : *ea conditione, ut annis singulis de unaquaque casata solidus, id est, duodecim denarii, ad Ecclesiam vel*

(1) Can. V. Hard. III, col. 949.

(2) Can. XIV. Hard. III, col. 950.

(3) Cff. v. g. C. Parisiense V (614 vel 615), cap. X. Hard. III, col. 553; C. Remense (circ. 630), can. XIII. Hard. III, col. 573; C. Toletanum IX (655), capp. I, II, III, IV, V, VIII. Hard. III, coll. 973, 974, aliaque plura, quæ sanciunt ut « res ad jus Ecclesiæ pertinentes » (C. Remense) juxta « patrum sanctissimas sanctiones » (C. Toletanum IX) administrentur.

(4) Cap. IX. Hard. III, col. 1035. Héfélé, *loc. cit.*, III, pp. 656, 657.

monasterium reddantur : eo modo ut si moriatur ille cui pecunia commodata fuit, *Ecclesia cum propria pecunia revestita sit*. Et iterum, si necessitas coget, aut princeps jubeat, precarium renovetur, et rescribatur novum. *Et omnino observetur, ut Ecclesiæ vel monasteria penuriam paupertatemque non patiantur, quorum pecunia in precario præstita sit : et si paupertas cogat, Ecclesiæ vel domui Dei integra reddatur possessio* » (1).

Si ad Conc. Aquisgranense I (816) exinde transeamus (2), amplam ibi reperimus de rebus Ecclesiæ tractationem. « Quid sint res Ecclesiæ », lib. I, cap. CXVI describitur : « Res Ecclesiæ, sicut a sanctis patribus traditur.. *vota sunt fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum*. Fideles namque fidei ardore et Christi amore succensi ob animarum suarum remedium et cœlestis patriæ desiderium, suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam ; ut his et milites Christi alerentur, et Ecclesiæ exornarentur, pauperes recrearentur, et captivi pro temporum opportunitate redimerentur. Quapropter vigilanti ac solerti cura providendum est his qui ejus facultates administrant, ne eas in suos solummodo usus convertant, sed magis juxta possibilitatem rerum, Christo famulantium, immo eorum in quibus Christus pascitur et vestitur, curam gerere

(1) Hard. III, coll. 1921, 1922. — Cf. Thomass., *Vetus et nova Ecclesiæ discipl.*, P. II, lib. III, cap. XII. — Héfélé, *loc. cit.*, IV, pp. 402, sqq.; 428, sqq.

(2) Cff. interim Conc. Francofordiense (794), can. XLVIII. Hard. IV, col. 909; Conc. Arelatense VI (813), can. IX, XX. Hard. IV, coll. 1004, 1006; Conc. Moguntiacum (813), can. XLI, XLII. Hard. IV, col. 1015; Conc. Remense II (813), can. XXXVI, XXXVII. Hard. IV, col. 1021; Conc. Turonense III (813), can. XVI. Hard. IV, col. 1025. — De Synodo Aquisgr., cf. Héfélé, *loc. cit.*, V, pp. 201, sqq.

penitus non negligant ». Relatisque Hieronymi verbis (1), « *Ergo res ecclesiæ pauperibus et militibus Christi stipendiariæ debent intelligi* »; ex quo concluditur quanta sint pietate ac fidelitate administrandæ a prælatis Ecclesiæ, nempe « quatenus *de fideli administratione ab ipso, cujus ministri esse noscuntur, ineffabiliter remunerari mereantur* » (2). Idem Concilium multa ex operibus præsertim S. Prosperi desumpta refert, quibus « diligenter animadversis, studeant necesse est clerici in accipiendis ecclesiasticis sumptibus suum vitare periculum » (3); ita, verba S. Prosperi usurpando, « non est meum dicere quali peccato cibos pauperum præsumendo suscipiant, qui ecclesiam, quam juvare de propriis facultatibus debuerant, suis expensis insuper gravant » (4).

Conc. Parisiense VI (829) fuse etiam de rebus Ecclesiæ tractat. Cap. XV, probare instituit « quod nulli sacerdotum liceat *res Deo dicatas* sibique commissas, utpote proprias tractare... sed potius *secundum canonicam auctoritatem, sanctorumque patrum dicta et exempla* administrare vel dispensare ». Et quidem, « quod ea quæ Domino sanctificabantur, ad jus pertinerent sacerdotum, legalia instituta sanciunt. In novo quippe testamento, in initio videlicet sanctæ nascentis Ecclesiæ, vota fidelium ante pedes ponebantur Apostolorum ; eorumque judicio unicuique, prout opus erat, distribuebantur ». Quod et dein apud Apostolorum successores servandum docetur; adductisque auctoritatibus Hiero-

(1) Cf. supra, p. 137.
(2) Hard. IV, col. 1132.
(3) Cap. CXX, *ibid.*, col. 1133.
(4) Cap. CVII, *ibid.*, col. 1117. — Cff. capp. CVII, CVIII, CIX, CXI, *ibid.*, coll. 1117-1119.

nymi, Conc. Antiocheni, Conc. Chalcedonensis, canonum Apostolorum, Gelasii Pont., S. Prosperi, Concilium tandem concludit : « Sicut igitur præmissa documenta declarant, non sunt res Ecclesiæ ut propriæ, sed ut *Dominicæ et a Domino commendatæ* tractandæ. Quicumque ergo eas ad suos proprios usus terrenosque honores et delectationes retorquet, quanti sit discriminis, quantæque transgressionis, aperte animadverti potest » (1). Tunc adversus illos bonorum ecclesiasticorum administratores quibus *jura ecclesiastica convelluntur*, feruntur decreta quibus, ne exspolientur ecclesiæ, præcavetur (2). Sequenti autem capite, renovantur prohibitiones bonorum alienationem spectantes; revocantur hac occasione Symmachi Papæ verba, urgenturque etiam in casu necessariæ alienationis descriptæ vices auctoritatis ecclesiasticæ : Quas sanctiones qui non observaverit, semel et iterum pronuntiatur *reus Deo et concilio* tenendus (3). Ac denique, cap. XVIII, concilium in illud celebre erumpit : « *Cesset ergo ambitio, quæ dicere solet, nimis rerum habere ecclesias Christi*; *et perpendat quia quantæcumque sunt res Ecclesiæ, si eo modo quo dispensandæ sunt dispensentur, nimiæ non sunt.* Cupiditas quippe, immo negligentia quorumdam dispensatorum, *non Ecclesiæ amplæ res, in vitio sunt. Mira namque res : ambitio mundialis satis non habet, et Ecclesia Christi nimium habet* » (4).

Conc. Aquisgranense II (836) quænam sint fidelis dispensatoris partes exponit in administratione rerum

(1) HARD. IV, coll. 1307-1309.
(2) Cap. XVI, *ibid.*, col. 1309.
(3) Cap. XVII, *ibid.*
(4) *Ibid.*, col. 1310. HÉFÈLÉ, *loc. cit.*, V, pp. 253, sqq.

quæ sibi a Domino committantur (1), iterumque Symmachi verba adducit quibus cautum fuit « ne in exemplum remaneret præsumendi quibuslibet laicis, quamvis religiosis vel potentibus, in quacumque civitate quolibet modo de ecclesiasticis facultatibus aliquid distrahendo decernere, quarum solis sacerdotibus disponendi indiscussa a Deo cura commissa docetur » (2).

Conc. Meldense (845-846) pervasorem rerum ecclesiasticarum « *sacrilegum* » iterata vice pronuntiat (3).

Statuit Conc. Moguntium I (847) : « Ut episcopi potestatem habeant res ecclesiasticas providere, regere, et gubernare, atque dispensare, secundum canonum auctoritatem, volumus : et ut laici in eorum ministerio obediant episcopis ad regendas ecclesias, viduas, et orphanos defendendos » (4).

In Conc. Tricassino II (Troyes) a Joanne VIII Pont. a. 878 congregato, sequens canon latus est : « Ecclesiarum sanctarum possessiones, id est, monasteria, mansa, cortes, villas, patrimonia, omniaque quæ jurisdictionibus earumdem conveniunt, nullus suppetere a Romano seu reliquis Pontificibus præsumat, nisi personæ quas canonica sancit auctoritas, ut et illud primo anno ordinationis nostræ apud beatum Petrum Apostolum constitutum » (5).

Apertissimam de rebus Ecclesiæ declarationem profert Conc. Troslejanum (Trosly-909) : « Specialius tamen

(1) Cap. II, can. VII. Hard. IV, col. 1394.

(2) Cap. II, *De vita et doctrina inferiorum ordinum*, can. VIII, *ibid.*, col. 1403. — Cf. *Synodi* Aquisgr. II *ad Pipinum lib. II*, capp. XXVIII-XXX. Hard. IV, coll. 1436, 1437. Héfélé, *loc. cit.*, V, pp. 287, sqq.; 292, sqq.

(3) Can. LXI. Hard. IV, coll. 1493, 1494. Héfélé, *loc. cit.*, V, p. 315.

(4) Cap. VII, Hard. V, col. 9. — Cf. Conc. Valentinum III (853), can. XX. Hard. V, col. 94.

(5) Can. II. Hard. VI, col. 197. Héfélé, *loc. cit.*, VI, pp. 101, sqq.

nunc a nobis *illud sacrilegium denotatur, quod a prædonibus de rebus Ecclesiæ agitur*. Est enim hoc sacrilegium, res Ecclesiæ sacratas auferre, possessiones ad jus Ecclesiæ pertinentes, vel aliquid Ecclesiæ consecratum vel donatum tollere, invadere, fraudare, vel rapere. Hoc namque agentes vere sacrilegi sunt et homicidæ... Omnia quæ Domino offeruntur, procul dubio et consecrantur : et non solum sacrificia, quæ a sacerdotibus super altare Domino consecrantur, oblationes fidelium dicuntur : sed quidquid ei a fidelibus offertur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, vel quodlibet artificium, ædificium, vestimentum, quodcumque mobile vel immobile... indubitanter Domino consecratur : et quicumque ab Ecclesia aliquid ex his quocumque modo alienaverit, abstulerit, invaserit, vastaverit, minoraverit, sive diripuerit, *quia Christus et ejus Ecclesia una est persona; et quæcumque Ecclesiæ sunt, Christi sunt;* procul dubio sacrilegium committit ». Cujusmodi rerum ecclesiasticarum invasoribus Concilium anathema dicit (1).

Hæc eadem mens est Conc. Tolosani (1119) : « Primitias, decimas, oblationes, et cœmeteria... *a principibus vel quibuslibet laicis diripi et teneri, penitus interdicimus*. Qui vero pertinaciter ista præsumpserit, ab Ecclesiæ liminibus *tamquam sacrilegus* arceatur » (2).

(1) Cap. IV. Hard. VI, coll. 513-515. Héfélé, *loc. cit.*, VI, pp. 146, sqq. Cff. Conc. Moguntiacense (888), capp. VI, XX. Hard. VI, coll. 405, 408. Héfélé, *loc. cit.*, VI, pp. 126, sqq., Conc. Tolosanum (1056), capp. VIII, XI. Hard. VI, col. 1045. Conc. Turonense (1060), cap. III. Hard. VI, col. 1072. Conc. Romanum (1063) sub Alexandro II P. celebratum, cap. V. Hard. VI, col. 1140.

(2) Can IV. Hard. VI, part. II, col. 1979. Cf. *ibid.*, can. VII. Cf. Conc. Londinense (1138), can. XI. Hard. VI, part. II, col. 1205. Conc. Turo-

Atque, ut continuata traditionis series innuatur, jam remittimus ad statuta Conc. Burdigalensis anni 1255 (1), Conc. Saltzburgensis anni 1281 (2), Conc. Ravennatensis III (1314) (3), Conc. Narbonensis (1374) (4), Conc. prov. Londinensis (1382) (5), in quo XXIV articuli Wiclefi damnati sunt, Conc. prov. Saltzburgensis anni 1420 (6).

Conc. provinc. Burdigalense anni 1583, pronunciat : « Peculium Christi sunt bona Ecclesiæ, episcopis, sacerdotibus et clericis, cum ad honestum eorum vitæ subsidium et spiritualis sumptum ministerii, tum ad pauperum alimentum atque sustentationem tradita. Quæ propterea *sine summo scelere et detestando sacrilegii crimine*, alienari non possunt (7) ».

In Conc. provinc. Neapolitano a. 1699, bona Ecclesiæ vocantur « patrimonium pauperum » et « hæreditas Domini » (8); in Concil. nationali Albano a. 1703, « peculium Christi » (9).

Conc. provinc. Avenionense a. 1725 moneri mandat « omnes et quoscumque et cujuscumque status ac digni-

NENSE (1163), can. III, cui titulus : « *Ut laici ecclesiastica non usurpent* ». HARD. VI, part. II, col. 1597; præsertim autem can. X, « *De immunitate rerum ecclesiasticarum* ». Coll. 1599, 1680. Conc. CASSLIENSE (1172), cap. IV, cui tit. : « *Ut terræ ecclesiasticæ ab omni sæcularium exactione sint immunes.* » HARD., VI, part. II, col. 1630.

(1) Cap. XIII, sqq. HARD. VII, coll. 472, 473.

(2) Cap. I. *Ibid.* VII, col. 855.

(3) Cap. XVII. *Ibid.* VII, coll. 1389, 1390.

(4) Can. XVII. *Ibid.* VII, coll. 1883, 1884.

(5) *Ibid.* VII, coll. 1890, sqq. Cf. art. 1æ seriei X, alterius seriei VII. HÉFÉLÉ, *loc. cit.*, X, pp. 210, sqq.

(6) Cap. XXIII. *Ibid.* VIII, col. 970.

(7) Tit. XXVI. HARD., X, coll. 1367, 1368.

(8) Tit. VIII, cap. II, n. 9. COLL. LAC., I, col. 219.

(9) Part. IV, cap. II. COLL. LAC., I, col. 327.

tatis sint, qui jura vel jurium documenta vel bona quæcumque, ad Ecclesias vel loca pia hujus Provinciæ quomodolibet pertinentia, detinent, ut ea quamprimum restitui curent... et in re tam gravi conscientiæ consulant suæ, ne pœnis tam sacrilegæ detentioni reservatis subjaceant » (1).

In Synodo plenaria Episcoporum Hiberniæ apud Thurles a. 1850 habita, declaratur : « Cum res ecclesiæ, seu bona ecclesiastica, nihil aliud sint nisi vota fidelium et patrimonia pauperum ; cumque præterea ea ad cultum divinum exercendum, et ad sacrorum ministrorum sustentationem necessaria sint, facile quilibet intelliget quanta fide et diligentia sint custodienda ab iis quibus eorum ministratio et fruitio est commissa » (2).

Inter decreta Concilii plenarii totius Americæ Septentrionalis Fœderatæ, a. 1852, statuitur : « Quoniam quæ Deo sunt donata in cultum divinum et opera caritatis, *in Ecclesiæ transeunt potestatem*, cujus est invigilare ut donatorum pia voluntas fideliter impleatur, ideoque sacris canonibus a laicorum usurpatione sæpius vindicata sunt; districte vetamus ne laici sese ingerant iis administrandis, absque Episcoporum libero consensu. Quod si eorum injussu ea usurpent... vel quæ fidei et curæ Episcoporum commissa sunt, ex eorum manibus eripere, *etiam legis præsidio*, conentur, eos pœnis a Tridentinis Patribus irrogatis rerum Ecclesiæ usurpatoribus ipso facto subjacere decernimus et declaramus » (3).

Statuendis de administratione bonorum Ecclesiæ hanc

(1) Tit. XLVI, cap. II. Coll. Lac., I, col. 580.
(2) Decr. XXII, n. 1. Coll. Lac., III, col. 793.
(3) XVI. Coll. Lac., III, col. 147.

declarationem præmittit Conc. provinc. Quebecense, a. 1854 : « Res Ecclesiæ, utpote propter cultum divinum Ecclesiæ donatas, esse Dei, proindeque sub potestate et jurisdictione Ecclesiæ omnino constitutas, declarant plurimæ summorum Pontificum constitutiones et innumera concilia » (1).

In Conc. provinc. Baltimorensi VIII, a. 1855, latum est decretum « quo monentur omnes ea quæ in cleri sustentationem, aut divini cultus decorem conferuntur, auctoritati Ecclesiasticæ unice et omnino subjacere » (2).

Tandem in Conc. provinc. Lugdunensi a. 1850 (3), in Conc, provinc. Ultrajectensi a. 1865 (4), et in Conc. provinc. Neogranatensi I, a. 1868 (5), docetur Ecclesiam a Christo institutam esse tamquam societatem perfectam, ab omni civili potestate independentem, quæ bona temporalia mobilia et immobilia, ad cultum Deo tribuendum et ad sui conservationem, jure proprio acquirit et possidet. Ea sunt Concilii Lugdunensis verba : « Sicuti nulla societas ex hominibus conflata potest subsistere nisi bona habeat, quibus valeat expensis necessariis providere, ita Ecclesia, quæ est societas perfecta, visibilis, propriæ temporali existentiæ consulens, et pauperibus quos semper secum habebit subveniens, *ex Christi voluntate, non autem Principum concessione*, ab initio fuit dominii capax, omnesque dominii actus semper exer-

(1) Decr. XV, § 2, n. 2. Coll. Lac., III, col. 657.

(2) In sess. II, congreg. VI priv. Coll. Lac., III, col. 160. Cf. conc. prov. Westmonasteriense, a. 1855, decr. VIII, 1. Coll. Lac., III, col. 980.

(3) Decr. XXIII, 1. Coll. Lac., IV, col. 481.

(4) Tit. I, cap. IX. Coll. Lac., V, col. 766; tit. X, cap. I. Coll. Lac., V, col. 922.

(5) Tit. IX, cap. I. Coll. Lac., VI, coll. 553, sq.

cuit » (1). Quare et ibidem profertur bona illa absque sacrilegio rapi non posse.

II. — *Ex decretis Pontificum atque œcumenicorum Conciliorum.*

Hanc jam apertam fuisse mentem Patrum Concilii Chalcedonensis (451), ut ad solum episcopum, ideoque ad ipsam Ecclesiam, jure pertinuerit rerum ecclesiasticarum administratio, hoc loco prætermittere nolumus. Inter canones in Actione VI approbatos, statutum legitur « nullum clericum conducere possessiones, aut procurationem suscipere, *nisi forte ei a proprio episcopo jubeatur ecclesiasticarum possessionum habere solicitudinem* » (2). Atque, in can. XXVI Actionis XV : « Quoniam in quibusdam ecclesiis (ut rumore comperimus) præter œconomos (δίχα, *sine* œconomo), episcopi facultates ecclesiasticas tractant : placuit, omnem ecclesiam qabentem episcopum, *habere œconomum de clero proprio, qui dispenset res ecclesiasticas secundum sententiam episcopi proprii* » (3).

Iidem vero canones res Ecclesiæ alienari vetant : « Quæ semel ex voluntate episcopi dedicata sunt monasteria, perpetuo manere monasteria; et res quæ ad ea pertinent, monasterio reservari; nec posse ea ultra fieri sæcularia habitacula. Qui vero hoc fieri permiserint, canonum correptionibus subjacebunt » (4).

Qualiter de rebus Ecclesiæ senserint Patres Concilii Nicæni II (787), œcumenici VII, testatur can. XII (in

(1) *Loc. cit.*
(2) Can. II, Hard. II, col. 490.
(3) Hard. II, col. 611.
(4) Can. XXIV, *ibid.*

Act. VIII) : « Quisquis episcopus inventus fuerit vel abbas de salariis episcopi sive monasterii *transferre quidpiam in principum manus, vel etiam alii personæ conferre, irritum sit quod datum esse constiterit*, secundum canonem sanctorum Apostolorum qui dicit : « Omnium ecclesiasticarum rerum episcopus solicitudinem habeat, et dispenset eas tamquam Deo contemplante; non liceat autem ei fraudare quidquam ex illis, vel cognatis propriis donare quæ Dei sunt. Quod si pauperes fuerint, ut pauperibus largiatur : sed non sub eorum occasione quæ sunt Ecclesiæ defraudentur ». Quod si et excusationem prætenderint, damnum facere, et nihil ad profectum agrum exsistere; *nec sic principibus qui per loca illa sunt, tribuatur ager vel locus*, sed clericis vel agricultoribus. *Quod si calliditate usus fuerit, et a colono vel clerico emerit princeps agrum; etiam sic irrita sit venditio, et restituatur episcopio vel monasterio;* et episcopus vel abbas hoc faciens abjiciatur, episcopus quidem ab episcopio, abbas autem a monasterio, tamquam qui dispergit male quæ non collegit » (1).

Concilium Lateranense I, œcumenicum IX (1123), liberum jus Ecclesiæ variis canonibus sancit. Can. IV : « Juxta beatissimi Stephani Papæ sanctionem statuimus, ut laici, quamvis religiosi sint, nullam tamen de eccle-

(1) HARD. IV, col. 494. — Horum mox citatorum decretorum vim non ita urgere intendimus, quasi ea aliis Conciliorum œcumenicorum decretis infra citandis exæquemus, quum Conc. Chalcedonense non fuerit a R. Pontifice confirmatum nisi in materia fidei, et hoc quidem propter canonem spectantem privilegia Sedi Constantinopolitanæ conferenda, Conc. autem Nicænum II expresse a Pontifice comprobatum fuerit quoad ea tantum quæ ad cultum imaginum pertinerent. Quantæ tamen ea sint auctoritatis facile perspicitur; neque hic omittenda videbantur.

siasticis rebus aliquid disponendi habeant facultatem : sed secundum Apostolorum canones, omnium negotiorum ecclesiasticorum curam episcopus habeat, et ea velut Deo contemplante dispenset. Si quis ergo principum, aut laicorum aliorum, dispensationem vel donationem rerum sive possessionum ecclesiasticarum sibi vindicaverit, ut sacrilegus judicetur » (1). Can. VII : Nullus omnino archidiaconus aut archipresbyter, aut præpositus, vel decanus, animarum curam vel præbendas Ecclesiæ, sine judicio vel consensu episcopi, alicui tribuat : immo sicut sanctis canonibus constitutum est, cura et rerum ecclesiasticarum dispensatio in episcopi judicio et potestate permaneat. Si quis vero contra hæc facere, aut potestatem ad episcopum pertinentem sibi vindicare præsumpserit, ab ecclesiæ liminibus arceatur » (2). Atque can. XX : « Paternarum traditionum exemplis commoniti, pastoralis officii debitum persolventes, ecclesias cum bonis suis, tam personis, quam possessionibus, clericos videlicet, tutos et sine molestia esse statuimus. Si quis autem contra hoc facere præsumpserit, et postquam facinus suum recognoverit, infra triginta dierum spatium competenter non emendaverit, a liminibus Ecclesiæ arceatur, et anathematis gladio feriatur » (3).

Concilium Lateranense II, œcumenicum X (1139), hanc de rebus Ecclesiæ sententiam habet : « Juxta namque decreta sanctorum patrum, laici, quamvis religiosi sint, nullam tamen habent disponendi de ecclesiasticis facultatibus potestatem » (4).

(1) Hard. VI, part. II, col. 1111.
(2) *Ibid.*, col. 1112.
(3) *Ibid.*, coll. 1113, 1114.
(4) Can. XXV. Hard. VI, part. II, col. 1212.

Neque dissimilia sunt quæ profert Conc. Lateranense III, œcumenicum XI, anno 1179 sub Alexandro III R. P. celebratum. Ipsius verba citamus : « Quidam clerici... bona per ecclesias acquisita, in alios usus præsumunt transferre. Hoc igitur quia et antiquis canonibus constat inhibitum, nos etiam nihilo minus inhibemus. Indemnitati itaque ecclesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes ecclesias eadem bona præcipimus remanere » (1). Et in alio canone : « Rectores et consules civitatum... de bonis ecclesiarum, clericorum et pauperum Christi usibus deputatis cuncta volunt fere compilari... Super quo dolendum est pro ecclesiis : dolendum etiam nihilo minus et pro ipsis, qui *timorem Dei*.. videntur penitus abjecisse. Quocirca sub anathematis districtione severius prohibemus, ne de cetero talia præsumant attentare, nisi episcopus et clerus tantam necessitatem, vel utilitatem aspexerint, ut absque ulla coactione, ad relevandas communes necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per ecclesias existiment conferenda. Si autem consules, aut alii, de cetero id præsumpserint. et commoniti desistere forte noluerint : tam ipsi, quam eorum fautores, excommunicationi se noverint subjacere : nec communioni fidelium reddantur, nisi satisfactionem fecerint competentem » (2).

Jus Ecclesiæ his verbis vindicat Conc. Lateranense IV, œcumenicum XII, a. 1215 ab Innocentio III congregatum : « Cum laicis, quamvis religiosis, disponendi de rebus ecclesiasticis nulla sit attributa potestas, quos

(1) Can. XV. Hard. VI, part. II, col. 1680.
(2) Can. XIX. *Ibid.*, col. 1681. Cf. Mamachi, *loc. cit.*, I, p. 320.

subsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi : dolemus sic in quibusdam ex illis refrigescere caritatem, quod immunitatem ecclesiasticæ libertatis, quam nedum sancti patres, sed etiam principes sæculares multis privilegiis munierunt, non formidant suis constitutionibus, vel potius confictionibus impugnare; non solum de feudorum alienatione, ac aliarum possessionum ecclesiasticarum, et usurpatione jurisdictionum, sed etiam de mortuariis, nec non et aliis quæ spirituali juri videntur adnexa, illicite præsumendo. Volentes igitur super his ecclesiarum indemnitati consulere, ac tantis gravaminibus providere : *constitutiones hujusmodi et vindicationes feudorum, seu aliorum bonorum ecclesiasticorum, sine legitimo ecclesiasticarum personarum assensu præsumptas occasione constitutionis laicæ potestatis* (cum non constitutio, sed destitutio vel destructio dici possit, nec non usurpatio jurisdictionum) sacri approbatione Concilii *decernimus non tenere*, præsumptoribus per censuram ecclesiasticam compescendis » (1).

Conc. Lugdunense II, sub R. P. Gregorio X, a. 1274, habitum, quod est ex œcumenicis XIV, præter celebrem illum canonem quo « regaliæ » abusus ejusdemque extensio in ecclesias atque monasteria eousque libera severissime prohiberentur (2), jura Ecclesiæ in can. XXII magna auctoritate affirmat atque tuetur : « Hoc consultissimo prohibemus edicto, universos et singulos prælatos ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu jura ipsarum, laicis submittere, subjicere, seu supponere,

(1) Can. XLIV. Hard. VII, coll. 49, 50. Decret. Greg. IX, lib. III, tit. XIII, cap. 12.

(2) Can. XII. Hard. VII, col. 711. — Cf. cl. Jungmann, *loc. cit.*, V, diss. XXVIII, pp. 488, 480; VII, diss. XLI, p. 332, sqq.

absque Capituli sui consensu, et Sedis Apostolicæ licentia speciali... » Quæ prohibitio, gravibus etiam additis sanctionibus, urgetur (1).

Sæculo XIV, quum Marsilius Patavinus ac Joannes de Janduno Ecclesiæ potestatem atque jura falsis doctrinis operi suo, cui titulus « *Defensor pacis* », insertis convellere studerent, articulos quinque ex hoc libro desumptos Joannes XXII Pont. tanquam hæreticos et erroneos, bulla *Licet juxta doctrinam*, a. 1328, damnavit (2). E quibus articulis primus est quo affirmabant quod Christus solvendo « tributum Cæsari... hoc fecit non condescensive et liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus ». Subditque Pontifex : « *Ex prædicto autem dicto suo nituntur concludere præfati viri reprobi, quod omnia temporalia Ecclesiæ subsunt Imperatori, et ea potest accipere velut sua*... Quæ quidem conclusio nullatenus ex præmissis sequitur... cum enim liqueat ex prædictis, Christum fuisse a solutione tributi vel census liberum et immunem, et staterem non solvisse ex debito, sed ut aliorum scandalum evitaret; nullo modo potest concludi, quod res Christi, quales sunt res Ecclesiæ, subsint Imperatori » (3).

Circa finem ejusdem sæculi prodierunt errores Joannis Wiclefi, initioque sæculi sequentis doctrinæ cum his cohærentes Joannis Hussii. Qui Wiclefi errores, jam partim a Gregorio XI, a. 1377, variisque Conciliis in Anglia habitis damnati, una cum falsis Hussii doctrinis,

(1) HARD. VII, coll. 714, 715. DECRET. lib. III, tit. IX, cap. 2, in VI°.

(2) Ap. RAYNALDUM, *Annales ecclesiast.*, t. Annalium XV, ad a. 1327. Ed. Colon. 1691, pp. 326, sqq. Cf. *Acta et Decreta S. Conciliorum recentiorum*. COLLECT. LACENSIS, VII, col. 629, n. 3.

(3) RAYNALD., *loc. cit.*, p. 327.

in Conc. Constantiensi, œcum. XVI, solemniter reprobati sunt. Wiclefus quibuscumque viris ecclesiasticis jus possidendi temporalia bona denegando, temporales Ecclesiæ possessiones impetebat (1) (cujusmodi sententias et Hussius ore ac scriptis tuitus est (2)). Condemnationem autem XLV articulorum Wiclefi, quæ sessione VIII a Concilio peracta erat, quod tunc quidem temporis, post abdicationem Gregorii XII, celebratione œcumenicum non erat, ratam habuit atque solemniter edidit Martinus V in bulla *Inter cunctas*, d. die 22 Febr. a 1418 (3). In qua bulla, inter articulos de quibus præcipitur ut quilibet hæreticus vel de hæresi suspectus interrogetur, ponuntur sequentes : « Utrum credat, quod liceat personis ecclesiasticis absque peccato hujus mundi habere possessiones et bona temporalia. Item, utrum credat, quod laicis ipsa ab eis auferre potestate propria non liceat ; immo quod sic auferentes, tollentes et invadentes bona ipsa ecclesiastica, sint tamquam sacrilegi puniendi, etiam si male viverent personæ ecclesiasticæ bona hujusmodi possidentes. Item, utrum credat, quod hujusmodi ablatio et invasio cuicumque sacerdoti, etiam male viventi, temere vel violenter facta, vel illata, inducat sacrilegium » (4).

(1) *Art. X :* Contra Scripturam sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones. *Art. XXXII :* Ditare clerum est contra regulam Christi. *Art. XXXVI :* Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus, sunt hæretici, eo quod possessionem habent, et consentientes eis, omnes videlicet domini sæculares et ceteri laici. *Art. XXXIX :* Imperator et domini sæculares seducti sunt a diabolo, ut ecclesiam dotarent bonis temporalibus. Item *Art. XLIV*. Hard. VIII, coll. 300, 301; coll. 910, 911.

(2) Hard. VIII, col. 406.

(3) Hard. VIII, coll. 905, sqq. Cf. Jungmann, *loc. cit.*, VI, diss. XXXIV. pp. 291, sqq.

(4) Art. XXXIV, XXXV, XXXVI. Hard., *ibid.*, col. 916.

Notissima est in hac nostra materia bulla Pauli II, R. P., incipiens « *Ambitiosæ cupiditati* », d. a. 1468, qua bonorum ecclesiasticorum alienationem necnon locationes ac conductiones ultra triennium, extra prævisos casus, stricte prohibentur (1). In bulla dicta « *in Cœna Domini* », excommunicantur et anathematizantur usurpantes bona Ecclesiarum (2).

Conc. Tridentinum, cujus decreta tot ac tantos salutis fructus catholicæ societati intulerunt, jus etiam Ecclesiæ in res suas, « quæ Dei sunt » (3), gravissimis et eloquentissimis sanctionibus munivit; hæc quippe perpendantur Concilii verba : « *Si quem clericorum vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam imperiali, aut regali, præfulgeat*, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiæ, seu cujusvis sæcularis vel regularis beneficii... jurisdictiones, bona, census, ac jura, etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta seu quascumque obventiones, quæ in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se, vel alios, vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum, aut laicorum, seu *quacumque arte, aut quocumque quæsito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit*, seu impedire ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur; is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus et redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositæ personæ, pervenerint, Ecclesiæ ejusque administratori,

(1) Inter EXTRAV. COMM., l. III, tit. IV. Cff. pœnæ in male alienantes et ad alien. cooperantes. Cf. etiam inter CLEMENTINAS, lib. III, tit. IV.

(2) BULLAR. ROM. Luxemburgi, 1727. I, p. 718. Cf. *ibid.*, III, p. 281.

(3) Sess. XXV, *de Reform.*, cap. I.

sive beneficio integre restituerit : ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit » (1). Specialia deinde de patronis ac de clericis usurpationi cooperantibus adduntur.

Ecclesiæ independentia in exercendo suo jure res suas possidendi ab Urbano VIII, in Constit. anni 1641 *Romanus Pontifex* (2), contra quemcumque præjudicium aliquod ipsi inferentem defenditur. Atque hic quoque locus est verba referendi Benedicti XIV (a. 1744) quibus ecclesiarum quarumdam Germaniæ sæcularizationem, earumve reddituum imminutionem reprobat, neque unquam tolerandam edicit : « Nos igitur coram Altissimo, cui rationem de singulis operibus nostris reddituri certe sumus, testamur, Nos pro viribus enixe curaturos, ut omnia et singula Ecclesiarum Germaniæ principatus, *jura*, jurisdictiones, honores, *bona*... integra atque intacta permaneant, *neque unquam concessuros, aut assensu comprobaturos, adversum hæc quidquam fieri, ulloque modo attentari;* cum omnino parati simus sanguinem potius nostrum omnem effundere, quam pati, *ut Ecclesiæ jura, ac libertas violentur, et conscientiæ nostræ macula per ejusmodi assensum afferatur* ». Ad Germanorum autem Antistites : « Pietati quidem vestræ ac zelo injuriam faceremus, si vel suspicio in Nos caderet, sententiam vestram cum hac nostra prorsus non congruere; quasi vero obliti essetis jurisjurandi, quo in auspicando Episcopatu polliciti estis, *universa Ecclesiæ vestræ jura, prærogativas, fortunasque, sartas tectasque servare* » (3).

(1) Sess. XXII, *de Reform.*, cap. XI.

(2) Bullar. Rom. Romæ, 1760, VI, p. II, pp. 289, sqq.

(3) Const. *Ut primum*, Benedicti P. XIV Bullarii, I. Ed. Venet. 1778, p. 137.

Denique, ut ad ætatem deveniamus quæ propius ad nostram accedat, S. P. Pius IX, in Encycl. *Quanta cura*, 8 dec. 1864, eos graviter arguit quos « *minime pudet affirmare... excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos, qui jura possessionesque Ecclesiæ invadunt et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis, ordinisque civilis ac politici ad mundanum dumtaxat bonum prosequendum... conforme esse sacræ theologiæ, jurisque publici principiis bonorum proprietatem, quæ ab ecclesiis, a familiis religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere et vindicare* » (1). In Syllabo autem huic Encyclicæ adjuncto, sequentes propositiones ut damnatæ referuntur : XXVI. « *Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi* ». — XXVII. « *Sacri Ecclesiæ ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi* » (2). Idem vero Pontifex excommunicationi speciali modo R. Pontifici reservatæ subjectos declarat : « Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes » (3).

Præstantissimum illud atque recentissimum documentum, cujus auctoritatem in præcedentibus sæpius adduximus, Encyclica SS. D. N. Leonis XIII *Rerum no-*

(1) N. 7.

(2) *Ibid.* p. 580. Cfr. Alloc. Pii P. IX, hab. die 20 sept. 1867. Ap. Acta Sanctæ Sedis, vol. III, pp. 113, sqq.; Alloc. Pii P. IX, hab. die 25 jul. 1873. *Ibid.*, vol. VII, pp. 337, sqq.

(3) Const. *Apostolicæ Sedis*, a. 1869, inter *Excomm. latæ sent. spec. modo R. P. reserv.*, n. XI. Cf. inter *Excomm. latæ sent. nemini reserv.*, n. III.

varum, originem atque indolem rerum Ecclesiæ apprime patefacit. Bona illa fidelium pietate collata sunt, quæ antiquitas christiana « *deposita pietatis* » vocat. Ea ratione efformatum est patrimonium illud quo Ecclesia, in adimplenda perpetua sua missione charitatis et misericordiæ, ita semper usa est, ut ipsorum adversariorum laudibus elata fuerit ; hoc autem patrimonium Ecclesia tamquam sacrum et inviolabile sæculorum decursu constantissime defendit : « Hinc sensim illud extitit patrimonium, *quod religiosa cura tamquam rem familiarem indigentium Ecclesia custodivit* » (1).

§ 4. *Doctrina in Concordatis contenta de jure Ecclesiæ acquirendi et possidendi bona temporalia.*

Jus Ecclesiæ, in pluribus Concordatis, quibus Ecclesia « in disciplinæ œconomia pro ratione ætatum aut pro necessitate rerum moderanda, sese accommodavit ad sempiternas sapientiæ et charitatis leges, numquam temporibus, semper Christo temporum moderatori serviens » (2), aperte vindicatum est atque solenniter agnitum.

Ecclesiam jus habere acquirendi et possidendi temporalia bona explicite declaratur in Conventione inita inter Pium IX et Elisabeth II, Reginam Hispaniæ, a. 1859 : « Primo Gubernium Suæ Majestatis iterum *expresse agnoscit* liberum ac plenum jus Ecclesiæ acqui-

(1) Encycl. SS. Leonis XIII *Rerum novarum*, 15 maii 1891. Cf. Encycl. SS. Leonis XIII *Immortale Dei*, 1 nov. 1885, parag. *His autem positis.*

(2) Nussi, *L Conventiones de rebus ecclesiasticis inter S. Sedem et civilem potestatem variis formis initæ* ... Monit. ad ed. Romanam.

rendi, retinendi atque habendi in proprietate et absque limitatione vel restrictione omnem speciem bonorum ac facultatum, derogando consequenter vi hujus Conventionis cuilibet dispositioni quæ sit ipsi contraria... » (1).

Hoc autem principium et in antiquioribus Concordatis assertum reperitur. In Concordato Wormatiensi, inter Papam Callistum II et Henricum V Imperatorem, a. 1122, habitum, hæc ex parte Imperatoris statuuntur : « Possessiones et Regalia B. Petri, quæ a principio hujus discordiæ usque ad hodiernam diem, sive tempore patris mei, sive etiam meo, ablata sunt, quæ habeo, eidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituo; quæ autem non habeo, ut restituantur, fideliter adjuvabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum et Principum, et aliorum, tam Clericorum, quam Laicorum, quæ in guerra ista sunt amissa, consilio Principum et justitia, quæ habeo, reddam; quæ non habeo, ut reddantur, fideliter adjuvabo » (2).

A. 1516, R. P. Leo X his verbis Emmanueli Regi Portugalliæ partes quasdam redituum ecclesiasticorum concedit : « Nobis nuper exhibita *petitio* continebat, quod licet alias nos præfato Emmanueli Regi... de omnibus Ecclesiis, Monasteriis et aliis Beneficiis Ecclesiasticis in dictis Regnis et Dominiis consistentibus certas partes decimarum, Tertias nuncupatas, ad instar Castellæ, et

(1) « Primieramente il Governo di S. M. *riconosce de nuovo formalmente* il libero e pieno diritto della Chiesa di acquistare, ritenere e godere in proprietà e senza limitazione o riserva ogni specie di beni e valori, rimanendo conseguentemente derogata in virtù di questa Convenzione qualunque disposizione che gli sia contraria... » Art. 3. Nussi, *Conventiones de rebus ecclesiasticis*... Moguntiæ, 1870, p. 341.

(2) Art. 2 et 3. *Ibid.*, p. 1.

Legionis Regnorum, quibus similes decimæ per Romanos Pontifices Prædecessores nostros *concessæ fuerant*, donec bellum hujusmodi per ipsum Emmanuelem Regem regeretur, *concessimus*... » (1).

In Conventione a. 1630 pro Bohemia inita inter R. P. Urbanum VIII et Ferdinandum II Imperatorem, postquam expositum fuerit controversias excitatas esse « de et super bonorum Ecclesiasticorum, ad Ecclesias, Monasteria tam virorum quam mulierum, aliaque Beneficia Ecclesiastica tam regularia quam sæcularia spectantium, et grassante hæresi in dicto Regno diversimode alienatorum, recuperatione ac illorum et fructuum perceptorum restitutione », magnas autem exortas difficultates « ob temporis antiquitatem et prætensas præscriptiones, aliasque extensiones, quæ pro eorumdem Possidentium parte objiciuntur » (2), statuitur Imperatorem « perpetuum annuum reditum » præstiturum esse (3).

Philippus V, Rex Hispaniæ, Clementem XII, R. P., rogavit ut propter circumstantias temporis, gravissima scilicet onera subditis suis incumbentia, ecclesiasticorum virorum bona communibus tributis subjacerent; in Concordato anni 1737, declaratur S. Pontificem id tantum *indulgere* quoad bona in futurum acquirenda atque sub conditionibus in prædicta Conventione determinatis (4).

(1) *Ibid.*, p. 36, Cf. cl. de Becker, *La propriété ecclésiastique et l'œuvre de la Constituante en* 1789, pp. 40, sq.

(2) Nussi, *loc. cit.*, p. 39.

(3) *Ibid.*, p. 40. Cf. de Becker, *loc. cit.*, p. 41.

(4) « Per la medesima ragione dei gravissimi pesi, ai quali son soggessi i beni de' laici... ha la M. S. richiesto Sua Santità di ordinare, che tutti i beni che dal principio del suo Regno sono stati acquistati dagli Ecclesiastici, o che con qualunque titolo da essi si acquisteranno in avvenire, siano sottoposti a quei medesimi pesi a cui soggiacciono i beni de' laici; pertanto

Conventio pro Sicilia, a. 1741, inter Benedictum XIV et Carolum III Regem, habita, dispositionem ejusdem generis *benignæ concessioni Pontificis* aperte tribuit (1). Neque minus explicitum est Concordatum statutum a. 1757 inter eumdem Pontificem et Mariam Theresiam pro Ducatu Mediolanensi : « Sanctitas Sua, supradictis mature consideratis, precibus Suæ Majestatis benigne acquievit... » (2).

In Concordato inito pro Austria, a. 1855, inter Pium IX et Franciscum Josephum I Imperatorem, statuitur : « Ecclesia *jure suo* pollebit, novas justo quovis titulo libere acquirendi possessiones ejusque proprietas in omnibus, quæ nunc possidet, vel imposterum acquiret, inviolabilis solemniter erit » (3). Item, in Conventione inter Pium IX et Præsidem Reipublicæ Æquatoris, a. 1862 : « Ecclesia *jure suo* pollebit novas justo quovis titulo acquirendi possessiones, ejusque proprietates, quas nunc possidet, vel in posterum acquiret, inviolabiles ex legum quoque ordinatione solemniter erunt » (4).

Conventio inter Pium IX et Præsidem Reipublicæ Sancti Salvatoris, anni 1862, sequentia habet : « Ecclesia

S. S. considerata la quantità e qualità di dessi pesi..., *non potendo accordare di gravare tutti gli Ecclesiastici, come si domanda, condiscendera solamente...* » Art. 8. Nussi, *loc. cit.*, pp. 59, sq.

(1) « La Santita di Nostro Signore, attesa l'impotenza de' laici... *aderendo alle istanze di Sua Maestà, è benignamente condiscesa...* » *Ibid.*, p. 73. Cf. de Becker, *loc. cit.*, pp. 41, sq.

(2) « Tutte le suddette rappresentanze avendo Sua Santita prese in matura considerazione..., *si e benignamente prestata all' istanza di Sua Maestà...* » Nussi, *loc. cit.*, p. 130. Cf. cl. de Becker, *loc. cit.*, p. 41.

(3) Art. 29. Nussi, *loc. cit.*, p. 316.

(4) Art. 19. *Ibid.*, p. 355.

jure pollet novas acquirendi possessiones quovis justo titulo, ejusque acquisitæ res erunt sacræ et inviolabiles æque ac proprietates aliorum civium Reipublicæ S. Salvatoris, ideoque nulla fundationum suppressio, vel unio fieri potest absque interventu auctoritatis Apostolicæ Sedis, salvis facultatibus Episcoporum juxta Concilii Tridentini normam. *Ob rerum et temporum adjuncta Sancta Sedes consentit,* ut fundi et ecclesiastica bona publicis subjiciantur vectigalibus æque ac aliorum Reipublicæ S. Salvatoris civium bona, exceptis tamen ecclesiis seu sacris ædibus divino cultui dicatis » (1).

Administratio quidem bonorum ecclesiasticorum in variis Concordatis iis committitur « ad quos secundum canones spectat » (2); in aliis etiam iis quibus « aut ex consuetudine, aut ex privilegio et constitutione aliqua loci legitime competit » (3) : in quocumque casu hæc administratio expresse declaratur fieri « *nomine Ecclesiæ* » (4). Interdum autem « *Sancta Sedes, spectatis peculiaribus rerum circumstantiis, consentit*, ut singularum Ecclesiarum fabricæ, cæteræque ecclesiasticæ cujusque

(1) Art. 17 et 18. *Ibid.*, p. 371. — Iisdem verbis jus Ecclesiæ agnoscitur in Concordato inter PIUM IX et Præsidem Reipubl. COSTARICENSIS, a. 1853. Art. 17 et 18. *Ibid.*, p. 301. Item, in Concordato inter PIUM IX et Præs. Reip. GUATIMALENSIS, a. 1853. Art. 18 et 19. *Ibid.*, p. 308. Item, in Conventione inter PIUM IX et Præs. Reip. VENEZUELÆ, a. 1862. Art. 22 et 23. *Ibid.*, p. 359. Item, in Conventione inter PIUM IX et Præs. Reip. de NICARAGUA, a. 1862. Art. 17 et 18. *Ibid.*, p. 365.

(2) Concord. pro AUSTRIA, a. 1855, art. 30. *Ibid.*, p. 316. Cf. Conventio inter PIUM IX et GUILLELMUM I Regem WIRTEMBERGÆ, a. 1857. Art. 10. *Ibid.*, p. 326. Conventio inter PIUM IX et FREDERICUM I Magnum Ducem BADARUM, a. 1859. Art. 12. *Ibid.*, p. 336. Conventio pro ÆQUATORE, a. 1862, art. 19. *Ibid.*, p. 355. Cf. FINK, *loc. cit.*, p. 133.

(3) Conv. pro WIRTEMBERGA, a. 1857, *loc. cit.* Conv. pro BADENA, a. 1859, *loc. cit.*

(4) Conv. pro WIRTEMBERGA, *loc. cit.*; Conv. pro BADENA, *loc. cit.*

loci fundationes *nomine Ecclesiæ*, eo modo qui jam in Regno receptus est, administrentur... » (1). Quibus et additur : « Insuper S. Sedes *annuit*, ut quamdiu publici ærarii sumptibus tum generalibus, tum localibus Ecclesiæ necessitatibus subvenietur, beneficia vacantia et fundus ex intercalaribus eorum fructibus collectus administrentur *sub Episcopi auctoritate et Ecclesiæ nomine* per Commissionem mixtam ex viris præsertim ecclesiasticis ab Episcopo deputandis et viris catholicis pari numero a Regio Gubernio constituendis » (2). Porro, in hujusmodi constituenda Commissione mixta pro bonorum ecclesiasticorum administratione, quam sedulo cavet Ecclesia ne tali Commissioni ea natura non tribuatur qua *bona Ecclesiæ, et quidem nomine et auctoritate Ecclesiæ* administret, præter citata verba, documenta eadem occasione data manifestissime declarant. « Dum ob peculiaria rerum temporumque adjuncta Summus Pontifex consensit, ut bona ad fabricas et ecclesiasticas locorum fundationes pertinentia eo administrentur modo qui in Magno Ducatu adhibetur, Te minime fugit... locorum commissiones, ad quas enunciata spectat administratio, in posterum induere debere ecclesiasticum characterem, quandoquidem ipsæ agere debent Ecclesiæ nomine... Haud oportet copiose exponere animadversiones, quæ ob circumstantias omnino peculiares...

(1) Conv. pro Wirtemberga, *loc. cit.* Cf. Conv. pro Badena, art. 12, 17 et 18. Statuitur etiam in hac Conventione : « *Consentit autem Sancta Sedes*, ut in ecclesiasticis bonis vel alienandis, vel novo oneri subjiciendis, vel in eorumdem bonorum redditibus in alios usus erogandis, Gubernii consensus habeatur ». Art. 13. *Ibid.*, p. 336.

(2) Conv. pro Wirtemberga, *loc. cit.* Cf. Conv. pro Badena, art. 18. Cf. Fink, *loc. cit.*, pp. 133, sq.

induxerunt ad mixtum constituendum Consilium seu Commissionem... Nihil vero dubitat Summus Pontifex quin omnia Commissionis jura strenue tuearis, ac simul impedias quominus Commissio ipsa *unquam suam naturam amittat administrandi scilicet tuendique nomine et auctoritate Ecclesiæ bona, quæ ad ipsam pertinent.* Hoc itaque Consilium seu Commissio numquam haberi vel considerari poterit veluti istius civilis Gubernii Collegium, aut officium superioribus in Magno Ducatu magistratibus administrationi publicæ præpositis subjectum, neque id argui ac deduci unquam poterit vel ex parte, quam idem Gubernium habet in deligendis hujusce Commissionis hominibus et Præside, vel ex qualitatibus et privilegiis, quibus ipsi jam utuntur veluti publico aliquo Gubernii munere perfuncti » (1). Eadem ratione jus Ecclesiæ affirmat Pius IX in litteris datis pro Wirtemberga, a. 1857 : « Etsi propter peculiaria rerum adjuncta *indulsimus* ut eadem bona eo administrentur modo, qui istic invaluit, tamen voluimus ut Episcopus illam omnem habeat auctoritatem, qua ipse ex Canonicis Sanctionibus potiri debet » (2).

Denique, e Conventione inita, d. 31 dec. 1887, inter SS. D. N. Leonem XIII et Præsidem Reipublicæ Columbiæ, sequentes exscribimus articulos, quorum complexus hucusque tradita diserte confirmat : « *Art. II.* Ecclesia catholica plena fruetur ac integra libertate et independentia a politica potestate, quapropter hæc ulla

(1) Epistola Card. ANTONELLI ad Hermannum Archiepiscopum Friburgensem, 30 sept. 1859, nn. 31, 32. Inter documenta pro BADENA. NUSSI, *loc. cit.*, pp. 415, sq.

(2) Litt. Apost. a S. S. PIO IX, S. P. ad Josephum Ep. Rottenburgensem, 30 junii 1857. NUSSI, *loc. cit.*, p. 398.

ratione intercedet quin ipsa suam spiritualem auctoritatem et ecclesiasticam jurisdictionem universam libere exerceat, suaque juxta proprias leges moderetur et administret. *Art. III.* Ecclesiæ leges sunt a civili jure discretæ, nec hujus partem constituunt; at Reipublicæ Magistratus illas in honore et reverentia solemniter habebunt. *Art. IV.* Status agnoscit Ecclesiam suis legitimis potestatibus ordinibusque hierarchicis repræsentatam, vere proprieque juridicam habere personam, et capacitatem utendi fruendique juribus, quæ ad ipsam pertinent. *Art. V.* Ecclesia jure pollet acquirendi justo titulo, possidendi libereque administrandi bona tum mobilia tum immobilia ad normam communi jure præfinitam, ejusque acquisitæ res et fundationes inviolabiles nihilo secius ac propria civium Reipublicæ bona. *Art. VI.* Ecclesiæ proprietates poterunt publicis subjici vectigalibus æque ac aliorum civium bona; exceptis tamen ædificiis divino cultui dicatis, Seminariis conciliaribus, Episcoporum et Parochorum domibus, quæ tum a vectigalibus immunia erunt, tum occupari aut aliis usibus nunquam addici poterunt » (1).

Atque hisce jam dissertationi nostræ finem imponimus. Ecclesia jus habet proprium et independens acquirendi et possidendi bona temporalia, titulo proprietatis; jure illo pollet ex ipsa sua societatis natura, et divini sui Fundatoris voluntate. Objectiones omnes, quæ contra jus Ecclesiæ afferuntur, ad alterutrum ex his principiis reduci debent, quod scilicet : 1) vel Ecclesia Christi *non possit temporalia possidere*, utpote societas

(1) Acta Sanctæ Sedis, vol. XXI, p. 7.

spiritualis, et cui Christus possessionem hanc interdixerit; 2) vel quod non possit Ecclesia possidere *independenter a potestate civili*, quum sive *a)* jus proprietatis, sive *b)* corpora moralia non existant nisi vi et concessione potestatis civilis. Utrique prætenso principio, rationibusque quibus illud Ecclesiæ hostes fulcire conantur, dissertationis nostræ decursu occurrimus.

Præstet Deus ut intelligant homines ea quæ sanctissimo jure possidet Ecclesia, quæque tot sæcula « patrimonium Christi » vocare solita sunt, in opus et propositum Christi erga homines beneficentissimum adhiberi, atque in omnigenam et uberrimam humani generis utilitatem refundi.

Cæterum, si quidquam huic tenui opellæ adsit meriti, gratias Deo ex imo corde rependimus.

FINIS.

THESES.

I.

Ecclesia, ipsa divini sui Fundatoris institutione, vera societas est externa et visibilis.

II.

« Hæc societas, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta, quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis : atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili : et, quod plurimum interest, societas est genere et jure perfecta, cum adjumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque Conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat » (1).

III.

« Sicut finis, quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus est, ita ejus potestas est omnium præstantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia » (2).

(1) SS. D. N. Leonis XIII Encycl. *Immortale Dei*, 1 nov. 1885.
(2) *Ibid.*

IV.

« Itaque Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus præpositam. Utraque est in suo genere maxima : habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cujusque natura caussaque proxima definitos ; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cujusque actio jure proprio versetur » (1).

V.

Hæ tamen potestates, nedum alienæ sint vel sibi inimicæ, ita ordinatæ sunt, ut inter eas, « quod utrique expedit et quod interest omnium hominum,.. conjunctio et concordia intercederet » (2). Itaque merito damnata est propositio asserens : « Optimam societatis publicæ rationem civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine » (3).

VI.

Verum « si divini cultus varia genera eodem jure esse, quo veram religionem, Ecclesia judicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui magni alicujus aut adipiscendi boni, aut prohibendi caussa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum » (4).

(1) SS. D. N. Leonis XIII Encycl. *Immortale Dei*, 1 nov. 1885.
(2) SS. D. N. Leonis XIII Encycl. *Arcanum*, 10 febr. 1880.
(3) Pii P. IX Encycl. *Quanta cura*, 8 dec. 1864.
(4) SS. D. N. Leonis XIII Encycl. *Immortale Dei*, 1 nov. 1885.

VII.

Legi fundamentali seu constitutioni politicæ, quæ cum debitis conditionibus libertatem cultuum statuit, juramentum fidelitatis, servatis servandis, præstare licet.

VIII.

« Habet Ecclesia ipsa ex divina institutione potestatem non magisterii solum, verum etiam regiminis, ut quos semel gremio suo excepit filios, in doctrina tradita contineat et confirmet, legesque ferat de iis omnibus, quæ ad animarum salutem, sacri ministerii exercitium ac Dei cultum attinent » (1).

IX.

Quare reprobandum est prætensum jus dictum « *placiti regii* », vi cujus nempe contenditur ea « quæ ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiæ constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis sæcularis placito confirmentur » (2).

X.

Ecclesiæ competit ex divina institutione vera potestas judiciaria.

XI.

Neque ideo jus *appellationis* quam nuncupant « *ab abusu* » tamquam prærogativa civili potestati propria vindicari potest.

(1) Gregorii P. XVI Litt. ad epp. et clerum Helvetiæ, 17 maii 1835.
(2) Conc. Vaticani Const. *Pastor æternus*, cap. 3.

XII.

Ecclesiæ tandem divinitus tributa est proprie dicta potestas coercitiva, potestas scilicet legum suarum violatores pœnis tum spiritualibus, tum etiam temporalibus coercendi.

XIII.

Ecclesiæ jus est proprium et independens illos juvenes, quos Deus singulari beneficio ex hominibus assumit, ut sint ministri sui ac dispensatores mysteriorum suorum, docendi et instituendi, eisque munera ecclesiastica committendi (1).

XIV.

Ecclesia, ex ipsa sua societatis natura et divini Fundatoris voluntate, jus habet bona temporalia, sive mobilia, sive immobilia, acquirendi et possidendi titulo proprietatis.

XV.

Quapropter injustæ spoliationis arguendæ sunt leges, quibus Status civilis bona ecclesiastica haud semel sibi usurpavit, vel Ecclesiam jure nova bona acquirendi privari decrevit. Proinde etiam leges, quæ dicuntur *amortizationis*, secluso speciali Ecclesiæ privilegio, iniquæ sunt et damnandæ.

XVI.

Soli Ecclesiæ jure proprio competit potestas statuendi impedimenta dirimentia pro matrimoniis christia-

(1) Cf. Litt. SS. D. N. Leonis XIII ad archiep. et epp. Borussiæ, 6 jan. 1886.

norum; imo et impedientia proprie dicta, in quantum videlicet directe inducant obligationem a matrimonio contrahendo abstinendi.

XVII.

Graviter errant qui docent canones III et IV Tridentinos, *sess. XXIV, de sacr. matr.*, non esse dogmaticos, sed mere disciplinares.

XVIII.

Constitutiones pontificiæ novæ de disciplina ecclesiastica pro universa Ecclesia latæ per se vim obtinent ex sola promulgatione Romæ facta. Ideoque rejicienda est opinio illorum qui putant generatim promulgationem in singulis provinciis necessariam esse.

XIX.

Leges pontificiæ vim obligandi habent etiam independenter ab acceptatione episcoporum.

XX.

Immerito contenditur in art. III Declarationis cleri Gallicani a. 1682, Romanum Pontificem subjacere vi coactivæ canonum ecclesiasticorum.

XXI.

Admitti nequit principium a nonnullis auctoribus positum, id posse episcopum in diœcesi sua, quod potest R. Pontifex in universa Ecclesia, iis tantum exceptis quæ statum totius Ecclesiæ respiciant vel quæ R. Pontifex sibi specialiter reservaverit.

XXII.

Episcopi negligentis potestas non devolvitur ad metropolitanum, nisi in casibus jure expressis.

XXIII.

Quando episcopus, habens potestatem tum ordinariam tum delegatam ad negotium aliquod peragendum, non expressit quanam auctoritate uti voluerit, censendus est uti voluisse ordinaria.

XXIV.

Præter quatuor titulos, qui per Const. Innocentii XII *Speculatores* determinantur ad designandum episcopum proprium ordinandorum, admitti potest alius æquipollens, qui est titulus legitimæ *incardinationis*.

XXV.

Quamvis disciplina ecclesiastica per concilinm Tridentinum sancita circa legitimos titulos ordinationis (1) haud pauca passa sit temperamenta ob mutatas circumstantias, requisita elementa deficere contendimus ut legitima inducatur consuetudo clericos ad sacros ordines promovendi quin ulla mentio fiat de titulo ordinationis.

XXVI.

Invalida reputanda est « electio Vicarii Capitularis peracta per secreta suffragia, in qua ob paritatem votorum favore duorum, alter ex his ad majoritatem sibi adscribendam, proprium suffragium quod jam favore alterius ediderat, convertere in seipsum declarat » (2).

(1) Sess. XXI, c. 2 *de Ref.*
(2) S. C. C. in *Veliterna*, 18 april. 1885.

XXVII.

Canonizatio Sanctorum inter eas causas reponenda est quæ dicuntur *ex se* majores. Non quidem ita beatificatio, quam tamen Romani Pontifices sibi de facto reservaverunt.

XXVIII.

Probabilem censemus et practice tutam sententiam quæ tenet pueros ante septennium, etiamsi usum rationis adepti sint, nondum obligari ad servandas leges ecclesiasticas sibi convenientes.

XXIX.

Leges civiles debitis stipatas conditionibus, veram in foro conscientiæ obligationem inducere defendimus : « Justa enim et debita est christianis legum verecundia non propter vim et minas, sed propter conscientiam officii » (1).

XXX.

Licet aliqua stabilitas requiratur in lege, negamus tamen perpetuitatem adeo de essentia legis esse, ut hujus ratio deficiat eo ipso quod legislator jam ab initio tempus præfixerit quo lex desinet.

XXXI.

Non adstringuntur peregrini legibus proprii territorii, dummodo ab eo tum physice tum moraliter absunt; imo idem generaliter dicendum esse putamus in casu quo exierint animo sese subducendi obligationi istarum legum.

(1) SS. D. N. Leonis XIII Encycl. *Sapientiæ christianæ*, 10 jan. 1890.

XXXII.

Sicuti ob solam consuetudinem fideles ad formam substantialem matrimonii servandam adigi possunt, ita ab eadem forma sub pœna nullitatis retinenda eximuntur quotiescumque « Concilii Tridentini decretum... si quandoque observatum fuit, longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit » (1).

XXXIII.

Ipse legitimus contractus matrimonialis inter fideles ad dignitatem sacramenti fuit elevatus. Unde necessaria consequentia fluit ipsos contrahentes esse ministros Sacramenti Matrimonii.

XXXIV.

Impedimentum metus, prouti ab Ecclesia statuitur, non dirimit matrimonium jure naturæ.

XXXV.

Raptus seductionis non est impedimentum dirimens matrimonii. In foro autem externo præsumitur raptus violentiæ, quoties non præcesserunt sponsalia aut tractatus de matrimonio. Cujus rei pondus immerito quidam auctores reponunt in raptu commisso in parentes vel tutorem; sed debet reponi in probatione consensus a puella præstiti tum in raptum, tum in raptum quatenus patratum est intuitu matrimonii.

(1) Pii VII Epist. ad archiep. Mogunt., 8 oct. 1803.

XXXVI.

Non repugnat essentiæ contractus matrimonialis pactum eidem additum servandæ perpetuæ continentiæ.

XXXVII.

Ex matrimonio rato non consummato, quamquam ob clandestinitatem invalido, oriri impedimentum publicæ honestatis existimamus; actus tamen qui vulgo dicitur matrimonium civile, hunc effectum non habet.

XXXVIII.

Præferenda videtur sententia, quæ docet absque distinctione ex consummato matrimonio invalido oriri impedimentum affinitatis usque ad quartum gradum inclusive.

XXXIX.

Extra diem natalem Domini, ut quis sacrificium missæ iterare valeat, requiritur licentia episcopi fundata in necessitate; talis autem necessitas adesse oportet, ut secus populus vel magna ejus pars die dominica vel festiva de præcepto sacro interesse nequeat.

XL.

Quamvis quibusdam in decreto Gratiani contentis major auctoritas, quam per se habebant, postea usu accesserit, nunquam collectio qua talis obtinuit valorem legalem. Quæ proinde in collectione referuntur, eo ipso quod in illa referuntur, nulla auctoritate nova aucta sunt.

XLI.

Beatum Petrum, Principem Apostolorum, Romam venisse, Romanum tenuisse episcopatum usque ad mortem. et Romæ glorioso martyrio esse coronatum, factum est historice omnino certum.

XLII.

In controversia de celebratione Paschatis S. Victor Romanus Pontifex non est imprudentiæ accusandus. Ex resistentia vero Polycratis Ephesini vel ex interventu S. Irenæi aliorumque inferri nequit, eo tempore supremam potestatem Romani Pontificis haud fuisse agnitam.

XLIII.

Injustæ sunt accusationes quæ ab auctore operis, quod inscribitur « Φιλοσοφούμενα », contra Callistum Romanum Pontificem feruntur de corrupta Ecclesiæ disciplina quoad matrimonium et quoad remissionem peccatorum.

XLIV.

Licet auctores aliqui (1) contenderint opusculum « *de Aleatoribus* » S. Victori Romano Pontifici tribuendum esse, illud nonnisi ætati sequiori, alteri scilicet saltem parti sæculi III, adscribimus.

XLV.

Neque iis auctoribus adstipulamur, qui censent idem opusculum « *de Aleatoribus* » epistolam encyclicam esse

(1) Harnack. *Der pseudocyprianische Tractat de Aleatoribus.* Leipzig, 1888.

quæ ad universam Ecclesiam mittenda fuerit; sed illud sermonem esse censemus ad fideles in ecclesia habitum.

XLVI.

Ex scriptis Priscilliani nuper repertis (1) elucet eum non immerito circa doctrinam de SS. Trinitate erroris accusatum fuisse; ipse quippe « Sabellianum antiquum dogma restituit, ubi ipse Pater qui Filius, qui et Spiritus Sanctus perhibetur » (2).

XLVII.

Opinionem quam proposuit Paret (3) circa rationem qua Priscillianus de dæmonibus senserit, quasi nempe realem eorum existentiam non admiserit, sed eos ut meras figuras passionem ac symbola criminum habuerit, non probari censemus.

XLVIII.

Falso asseritur in concilio Sardicensi Romano Pontifici primo tributum fuisse jus recipiendi appellationes in causis episcoporum; concilium enim Sardicense jus illud non instituit, sed ante jam agnitum mere confirmavit.

XLIX.

Liberius Romanus Pontifex neque falsum aliquod dogma credendum proposuit ex cathedra, neque Arianorum erroribus assensum præstitit.

(1) Ed. Schepss, *Corp. script. eccl. lat.*, XVIII. Vindobonæ, 1889.

(2) S. Augustinus, *ad Orosium contra Priscill.*, c. 4. Ed. Migne, *P. L.*, XLII, col. 671.

(3) *Priscillianus, ein Reformator des vierten Jahrhunderts.* Würzburg, 1891, p. 142, nota 2, et passim.

L.

Ex convocatione aut celebratione Concilii œcumenici Ephesini, depromi non potest argumentum, quo ostendatur, Romano Pontifici haud competere supremum fidei magisterium et plenam jurisdictionis potestatem.

LI.

Incassum etiam adversarii infallibilitatis Romani Pontificis provocant ad celebrem illam *retractationem* et *confirmationem* epistolæ S. Leonis in actione VI Concilii œcumenici Chalcedonensis factam, ut ostendant antea hanc fidei expositionem non fuisse irreformabilem.

LII.

Depulsa temporum caligine, in clara luce hodie positum est, legitimum jus Pontificatus penes Urbanum VI, ejusque successores Bonifatium IX, Innocentium VII, Gregorium XII stetisse.

LIII.

Quamvis indulgentiarum publicatio anno 1517 Luthero *occasio* fuerit luctam funestam contra Ecclesiam incipiendi, constat tamen eum systema suum Ecclesiæ dogmatibus oppositum jam antea præformasse.

LIV.

Merito tanquam « falsa, temeraria, Clementi IX injuriosa » notata fuit « propositio relata inter acta synodi (Pistoriensis), quæ innuit Clementem IX pacem Ecclesiæ reddidisse per approbationem distinctionis juris et facti,

in subscriptione Formularii ab Alexandro VII præscripti » (1).

LV.

La Constitution belge, en proclamant le principe de l'égalité des citoyens devant la loi et la liberté de la conscience et des cultes, ne s'oppose nullement à l'existence et à la reconnaissance en Belgique de biens ecclésiastiques proprement dits.

LVI.

Les fabriques d'églises ont capacité pour recevoir toutes les libéralités faites en faveur soit du culte en général, soit d'un acte particulier du culte. Elles peuvent notamment être autorisées à accepter les libéralités qui ont pour objet les services religieux dus en vertu des lois canoniques, — une dévotion particulière approuvée par l'autorité ecclésiastique, — la construction ou reconstruction des églises paroissiales ou succursales.

LVII.

Les fabriques d'églises ont également capacité pour recevoir les fondations grevées de distributions charitables.

LVIII.

Contrairement à la jurisprudence actuellement suivie en Belgique et en France, nous affirmons que les fabriques d'églises sont aptes à posséder des cimetières, et par conséquent à recevoir des dons et des legs qui auraient pour but leur établissement.

(1) Pii VI Const. *Auctorem Fidei*, prop. 13.

LIX.

La doctrine consacrée par l'arrêt de la Cour d'appel de Gand, en date du 29 janvier 1885, est contraire aux lois qui chargent le curé de la police intérieure de l'église, à l'article 14 de la Constitution et à l'article 143 du Code pénal.

LX.

La loi canonique, la loi civile et la constante tradition condamnent les arrêtés royaux qui, sans le consentement et même contrairement aux avis de l'autorité diocésaine, ont mutilé de nombreuses fondations de services religieux, en en réduisant arbitrairement les charges.

LXI.

Contrairement à la doctrine de M. Laurent, nous soutenons que le privilège accordé à la bonne foi par les articles 201 et 202 du Code civil ne doit pas être restreint au mariage annulable, mais s'applique également au mariage inexistant.

LXII.

Le second alinéa de l'article 180 du Code civil, d'après lequel on peut attaquer le mariage, lorsqu'il y a eu erreur dans la personne, doit s'appliquer exclusivement au cas, où l'erreur porte sur l'identité physique ou civile de la personne.

LXIII.

L'indignité en matière de succession ne peut produire ses effets que lorsqu'elle a été déclarée ou prononcée par une sentence judiciaire.

LXIV.

Le retour successoral, établi par l'article 747 du Code civil, n'a lieu qu'au profit de l'ascendant légitime.

LXV.

Nous interprétons l'article 789 du Code civil en ce sens qu'après 30 ans d'inaction, l'héritier a perdu tout droit à la succession.

LXVI.

Le jugement, passé en force de chose jugée, qui condamne en qualité d'héritier pur et simple celui qui n'a pas encore fait acte d'héritier, n'a d'effet qu'entre parties,

LXVII.

Les enfants de celui qui s'est rendu coupable d'un fait, auquel la loi attache l'indignité de succéder, ne sont pas exclus du bénéfice de la représentation.

LXVIII.

Les termes suivants de l'art. 730 du Code civil : « Les enfants de l'indigne, venant à la succession de leur chef *et sans le secours de la représentation* », visent l'hypothèse où l'indigne est vivant et ne saurait, par conséquent, être représenté dans la succession.

LXIX.

La capacité de recevoir n'est pas requise dans le chef du donataire avant l'acceptation de la donation.

LXX.

Dans les contrats, l'erreur de droit, comme l'erreur de fait, constitue un vice du consentement.

LXXI.

En cas d'obligation alternative de deux corps certains, le transfert de la propriété ne s'effectue qu'au moment où, par l'acceptation de l'une des parties contractantes, le choix est rendu irrévocable.

LXXII.

L'article 1141 du Code civil n'est pas contraire au principe que la propriété des meubles est transférée, même vis à vis des tiers, par le seul effet du contrat.

Vidit S. Facultas Theologica.

E. H. J. Reusens, S. Fac. p. t. Decanus.

A. Dupont, S. Fac. p. t. a secretis.

Vidit Rector Universitatis.

J. B. Abbeloos.